



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

Rhabani Mauri Archiepiscopi Moguntini Epistola Ad Heribaldum Episcopum
Autissiodorensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

RHABANI MAURI
ARCHIEPISCOPI
MOGUNTINI
EPISTOLA
AD HERIBALDUM
EPISCOPUM
AUTISSIODORENSEM.

LIBRARI MAJORI
ARCHIEPISCOPI
MOGUNTINI
EPISTOLA
AD HERIBALDUM
EPISCOPUM
AUTISSIODORENSEM



STEPHANI BALUZII

TUTELENSIS

PRÆFATIO AD LECTOREM.

I. **Q**UANTI æstimandæ sint lucubrations Rhabani Mauri Abbatis Fuldensis & Archiepiscopi Moguntini, quantam curam ac diligentiam adhibuerint omnium seculorum eruditi homines ut eas habere possent, vel hinc colligi facilè potest quòd varia earum exemplaria vetera & recentia reperiuntur in plurimis Galliæ, Germaniæ, Italiæ, Britanniæ, & Hispaniæ bibliothecis. Quin & Riculfus Episcopus Helenensis, qui regnante Karolo Simplicee eam cathedram tenuit, inter libros quos Ecclesiæ suæ testamento reliquit, etiam *Librum Rabanum unum* se legare ait. Pœnitentiale autem ejus tanti fecit vir celeberrimus & eruditissimus Antonius Augustinus Archiepiscopus Taronensis ut non dubitaverit illud recudere in sua pœnitentialium librorum collectione, præfatus non satis hæctenus cognitum fuisse quan-

tum in hoc genere excelleret. Hoc opus composuit Rhabanus jussu Otgarij Archiepiscopi Moguntini, ut ipse testatur in epistola ad eum scripta. Meminit istius libri & Rudolfus monachus in vita Rhabani. *Scriptit quoque libellum unum, inquit, ad Otgarium Archiepiscopum; in quo primum de pœnitentia legitima & spe indulgentia, deinde diversa capitula de canonibus diversorum Conciliorum subjunxit ad corrigenda hominum vitia & instituta Christianæ religionis roboranda.* De tempore porrò quo lucubrationem illam confecit non est difficile pronuntiare. Nam cùm in capite decimo quinto loquatur de calamitosissimo illo ac detestabili prælio, ut Joannis VIII. verbo utamur, quod inter filios Ludovici Pij commissum est & summa contentione pugnatum, tot præterea cædibus insignium ac nobilissimorum hominum nobilitatum, dubitandum non est quin hic liber pœnitentialis editus à Rhabano sit haud ita multò post pugnam Fontiniacensem, quæ pugnata est in pago Autissiodorensi anno DCCCXLI. VII. Kalend. Julij.

II. Existimabat Georgius Colvenerius, qui Rhabani opera in unum collegit, Pœnitentiale istud ad Otgarium esse veluti justum quoddam compendium ceterarum Rhabani lucubrationum de hoc argumento, adeoque etiam posteriorem locum obtinere debere post librum canonum pœnitentialium ad Heribaldum. In quo illud falsum fuisse manifestum est. Constat enim Rhabanum de hoc argumento scripsisse ad Heribaldum decem circiter annis post editum librum pœnitentialem Otgario inscriptum. Præterea certum est quæstiones illas canonum pœnitentialium

lium ad Heribaldum, ut habet inscriptio in editione Colvenerij, non esse Rhabani opus, sed Halitgarij Episcopi Cameracensis, illos nimirum libros quos de vitiis & virtutibus scripsit ad Ebbonem Archiepiscopum Remensem, qui in lucem editi sunt à clarissimo viro Henrico Canisio in tomo quinto lectionis antiquæ. Atque id, cum manifestum statim unicuique esse possit vel ex tenuissima comparatione editionum quæ extant apud Canisium & inter opera Rhabani, non indiget ampliori probatione. Sequuntur deinde apud Rhabanum libri tres de vitiis & virtutibus, eidem Rhabano heic tributi. Verùm illi sunt etiam Halitgarij, saltem duo priores. Nam cum tertius non extet in editione Canisij neque in veteri codice M S. monasterij Corbeiensis, & sit verbosior quàm pro more Halitgarij, cum præterea rerum de quibus illic agitur nullam mentionem in præfatione sua ad Ebbonem faciat Halitgarius, facilè adducor ut credam additum illum fuisse prioribus à quodam recentiore, Rhabano porro omnes fortean tributos ex conjectura, quia videbant illum nonnulla de hoc argumento scripsisse. Cum autem res ita se haberet, eaque lucubratio in veteribus membranis ex quibus aut Pamelius aut Colvenerius sua descripserunt non extaret eo recto ordine quem exhibet editio Canisij, sed perverso, fieri potuit ut eam ob causam Colvenerius non animadverteret hos libros & quæstiones canonum pœnitentialium non esse Rhabani. Conjecturam sanè ejus de præfatione ad Heribaldum, quæ sumpta est ex præfatione Halitgarij, vanam esse necesse est cum se semel veritas patefecit, præsertim cum genuinam

Rhabani epistolam ad Heribaldum habeamus beneficio viri clarissimi Petri Stevartij ex veteri codice M S. monasterij Vveingartensis. Atque ita sanè mecum sensisset Colvenerius, si cognita illi fuisset ista Rhabani lucubratio, quæ diu tamen antè edita à Stevartio fuerat quàm Colvenerius in publicum emitteret collectionem suam Rhabanicorum operum. Sed ista sinamus. Res enim postulat ut fidem nostram liberemus ostendendo epistolam ad Heribaldum multò posteriorem esse libro pœnitentiali ad Otgarium missò.

III. Igitur Rhabanus Abbas Fuldensis librum pœnitentialem composuit jussu & hortatu Otgarij Archiepiscopi Moguntini. Eo deinde mortuo anno D C C C X L V I I. Rhabanus in hac sede collocatus est. Erat magna hominis fama & existimatio per omnes Francici nominis nationes, & hac tanta celebritate famæ etiam absentibus & à cœlo Germanico remotis notus erat. Itaque eum ex omnibus provinciis, quemadmodum ipse docet in epistola ad Bonosum de magorum præstigiis, & testatur etiam Rudolfus in vita ejus, plerique consulebant, etiam Episcopi, ut ex eo discerent quæ illis aut obscura erant aut ignota. Unus eorum qui consultationes ad eum suas miserunt fuit Heribaldus Episcopus Autifiodorensis, vir magni per eas tempestates nominis, & qui summum dignitatis gradum obtinebat in palatio Karoli Calvi Francorum Regis. Excitata erat per illas tempestates gravis & ingens controversia de Clericis ab Ebbone Remensi Archiepiscopo ordinatis postquam iste in synodo apud Theodonis villam habita anno

DCCCXXXV. canonicè iudicatus ac depositus æquissimo iudicio fuerat ob infamem perduellionem adversùs Ludovicum Pium Principem ac patronum suum optimum. Nam tamenetsi postea, Lotharij Imperatoris favore fultus, sedem suam recepisset in alia synodo, multoque tempore post iudicium istius synodi ministerium episcopale in Ecclesia Remensi executus esset consentientibus Episcopis suffraganeis Ecclesiæ Remensis, Hincmarus Remensis tum Archiepiscopus contendebat illum non fuisse restitutum canonicè, & *sine ulla regulari restitutione ministerium episcopale, quo se privaverat, contra sacros canones usurpasse.* Unde colligebat nullas ipso jure esse ordinationes Clericorum ab eo postea patratas, etiam illas quas in provincia Moguntina peregerat postquam cum consensu Gregorij IV. & Ludovici Germaniæ Regis ad vacantem sedem Hildesheimensem transiit. Divisis itaque ob eam contentionem animis, Heribaldus ad Rhabanum de ea re scripsit, sententiam ejus exquirens; simulque & nonnulla alia capitula adjecit interrogationi suæ, data occasione.

IV. Necessarium porrò est responsoriam istam à Rhabano ad Heribaldum missam esse anno DCCCLIII. cum scripta sit post mortem Ebbonis & cum jam Eigil Abbas erat monasterij Prumiensis. De Ebbone testatur Hincmarus in epistola XXVII. illum obiisse anno DCCCLI. XII. Kalend. Aprilis. Eigilem verò factum fuisse Abbatem Prumiensem anno DCCCLIII. jam observatum est in Notis ad Lupum Ferrariensem. Unde certò colligitur epistolam istam Rhabani scriptam esse anno DCCCLIII. uti

dicebamus. Præterea valde probabile est Rhabanum ab Heribaldo super ea re consultum fuisse eo tempore quo maximè incaluerat concertatio illa de Clericis ab Ebbone ordinatis. Non aliàs autem, vivis Rhabano & Heribaldo, ea contentio ferventior fuit quàm tempore synodi quæ apud Sueffionensem urbem habita est anno DCCCXIII. ut patet ex variis illorum temporum monumentis. Unde manifestè colligitur hanc epistolam decem circiter annis posteriorem esse libro pœnitentiali ad Otgarium misso.

V. Epistolam vocavi hoc opusculum, non Pœnitentiale, Rhabani auctoritate ductus, tum etiam Reginonis Abbatis Prumiensis, Ivonis Episcopi Carnotensis, & Gratiani. Scio Petrum Stevartium, cui debemus primam epistolæ istius editionem, illi titulum fecisse PŒNITENTIALE RHABANI, tum in fronte operis ista posuisse ad firmandam opinionem suam: *Incipit liber pœnitentialis ex canonicis constitutionibus ab Rhabano venerabili Archiepiscopo compendiosè destoratus.* Verùm titulus iste non est Rhabani, sed studiosi cujuscpiam qui post Rhabanum vixit. Putabat enim ille, quisquis is tandem fuit, non alio titulo donandum esse hunc librum quàm pœnitentialis, quòd tractet ut plurimùm de variis hominum peccatis & eorum remediis. Aliter tamen res habet. Nam præterquam quòd illic nonnulla habentur quæ non pertinent ad hanc materiam, Rhabanus ipse in præfatione ad Heribaldum ita scribit: *Ego autem ea quæ in sacris canonicis inde explicita reperi, in presenti epistola inserere non tardavi.* Deinde Regino Prumiensis, qui frequenter utitur auctoritate istius opusculi,

semper vocat epistolam, nunquam librum. Denique apud Ivonem & Gratianum, uti mox dicturi sumus, locus quidam, qui extat in hoc opusculo, refertur ex epistola Rhabani Archiepiscopi ad Heribaldum. In capita tamen divisam esse antiquitus, ac si libellus esset, & eo quidem prorsus ordine quem exhibet editio Stevartij, hinc manifestum est quòd Regino libro II. cap. c c x l i i. afferens locum quendam ex epistola illa, accepisse se ait *ex epistola Rabani cap. xxix.* quod respondet divisioni capitum quam exhibet editio Stevartij. Præterea Ivo Carnotensis parte VI. Decreti cap. c c c c. referens alium locum ex eodem opusculo, *ex epistola Rabani Archiepiscopi ad Heribaldum cap. x.* describere se profectur; uti re vera quæ heic apud Ivonem leguntur, extant omnino in capite decimo epistolæ istius Rhabanicæ.

VI. Constat itaque, etiam veterum scriptorum testimonio, caput illud decimum verè Rhabani esse, non verò Concilij cujuscumque decretum. Et tamen Burchardus Vormatiensis Episcopus, qui centum circiter & quinquaginta annis post Rhabanum scribebat, hunc ipsum locum referens lib. x i x. cap. c l. *ex Concilio Hilerdensi cap. x.* accepisse se confirmat, hinc deceptus quòd caput decimum epistolæ Rhabani statim sequatur post relatum à Rhabano secundum canonem Ilerdensis synodi, ad quam propterea pertinere etiam putavit quæ postea sequebantur. Ita nihilominus Burchardi hallucinatio in errorem impulit Ivonem Episcopum Carnotensem. Hic enim describens, uti diximus, in Decreto suo caput illud de quo in præsentiarum agimus,

cùm animadverteret illud à Burchardo repeti ex Concilio Ilerdensi, ne quid à se prætermisum esse videretur, post verba illa *ad Heribaldum*, quæ nos suprâ retulimus, addidit *ex Concilio Ilerdensi*. Secutus est deinde incertus sed vetus canonum ac decretorum collector, qui collectionem suam adornavit ipsissimo Ivonis aëvo, pleraque ab eo accipiens. Is ergo idem caput decimum referens, hæc in titulo posuit, ex Ivone, ut apparet, descripta: *De his qui post ordinationem vel antè crimina commiserunt. Ex epistola Rhabani Archiepiscopi ad Heribaldum, ex Concilio Ilerdensi, cap. x.* Ea collectio extat M S. in bibliotheca regia.

VII. Hallucinatus iterum est Burchardus, ut solet, in altero epistolæ istius capite, in trigésimo nimirum. Primùm, caput illud esse unius hominis orationem vel legendo quivis deprehendere facillè potest; & præterea Regino disertè illud tribuit epistolæ Rhabani ad Heribaldum. ut dubitari non debeat quin sit legitimus ac genuinus Rhabani fœtus. Verùm quia in initio capituli xxviii. hic noster agens de his qui uxorem simul & concubinam habent, responsionem suam petiit ex canone xvii. Concilij Toletani primi, quem describit, putavit Burchardus ex eodem Concilio Toletano descripta esse ea quæ deinceps apud Rhabanum leguntur in capitibus xxix. & xxx. istius epistolæ.

VIII. Quæ dicta hæctenus de Burchardo sunt, ea inconsiderantiæ negligentiaque ejus imputari ac tribui possunt. An verò simplicitati ejus potiùs quàm malæ fidei adscribenda sint quæ sequuntur, nec satis scio, nec, si sciam, dicere

ausum. Prompserat Rhabanus in capite quarto istius epistolæ sententiam suam de his qui homicidia perpetrant in bello publico, an agenda eis pœnitentia sit. Descripsit autem se ipse ex capite decimo quinto libri pœnitentialis ad Otgarium, ubi Antonius Augustinus rectè adnotavit Rhabani verba esse. Quid heic fecit Burchardus? Alio transtulit argumentum; & satius haud dubiè ac nobilius putans ista laudari ex Concilio quopiam quàm ex scriptiuncula privati hominis, mutatis prioribus lineis Rhabanicæ orationis, accepisse se ista ait *ex Concilio Moguntino cap. II.* Quod rursus fraudi fuit Ivoni Carnotensi; qui parte x. cap. c l i i. referens istud ipsum caput, prout editum est apud Burchardum, *ex Concilio Maguntensi cap. I I.* sumptum fuisse scribit.

I X. Nota est omnibus controversia quæ Karoli magni ætatè commovit Ecclesiam Gallicanam & Germanicam, quid faciendum sit de Presbyteris criminosis qui nec sponte confessi sunt nec ab aliis convicti. Recruduit illa controversia sub imperio Ludovici Pij & filiorum ejus, ut testatur Hincmarus Remensis Archiepiscopus in epistola x l v i i. & x l v i i i. Non putavit itaque Rhabanus transeundam esse hanc causam silentio, cum ea adhuc turbaret Ecclesiam. Ac primùm quidem de ea re scripsit ad Otgarium Moguntinum, deinde verò ad Heribaldum Autistodorensem, eadem verba repetens in capite decimo epistolæ ad istum scriptæ quibus usus erat in capite primo libri pœnitentialis ad Otgarium. Dubitandum itaque non est, post tot testimonia, quin Rhabani verba sint. Burchardus tamen li b. x i x. cap. c l i. & qui eum describere

folet Ivo Carnotensis parte xv. cap. clx. illa tribuunt Concilio Toletano, ubi neque extant neque extare possunt.

X. Agit deinde Rhabanus in capite vigesimo de incestis spiritualibus, sic ut constet scriptiōnem esse privati hominis. Sanè Regino locum illum refert *ex epistola Rabani ad Heribaldum Episcopum Autisiodorensē*. Burchardus tamen non ex Rhabano accepisse se ait, neque ex Reginone, tamenetsi ex isto descripsisse videatur, sed primam partem capitis quod est cxcvi. in libro secundo Reginonis, in duas partes secans, tum quædam interserens, primam partem, nimirum verba Rhabani, accepisse se pronuntiat *ex Concilio Moguntino in clauastro sancti Albini habito prasente Ludovico Imperatore cap. x.* posteriorem verò, quam ex Concilio isto Moguntino Rhabanus laudavit, idem Burchardus refert *ex Concilio Triburiensi cap. viii.* ubi non extat. Effecit itaque auctoritas Burchardi ut Ivo Carnotensis parte ix. cap. lxxxi. tum etiam auctor vetustæ collectionis canonum MS. in bibliotheca regia partem primam istius loci Rhabanici, quam describunt ut est interpolata à Burchardo, se accepisse profiteantur *ex Concilio Maguntiensicap. x. in clauastro sancti Albini habito prasente Ludovico Imperatore*. Denique Burchardus aliam partem istius capitis, nimirum eam quæ composita est ex dialogis sancti Gregorij, ex Reginone, qui locum istum Rhabani in epitomen redegit, referens, non ex Reginone tamen accepisse se ait, neque ex epistola Rhabani ad Heribaldum, ut fecerat Regino, *sed ex Concilio Moguntino cap. v.* Burchardum secutus

Ivo Carnotensis parte IX. cap. LXXXIV. eundem locum describens prout apud Reginonem & Burchardum editus est, ista in titulo posuit:
Ex Concilio Maguntensi cap. v.

XI. Sequitur caput XXIX. in quo agitur de impotentia maritorum coeundi cum uxoribus. quod re vera Rhabani est, ut ingenuè agnoscit Regino. Burchardus tamen illud tribuit sancto Gregorio in epistola ad Joannem Ravennatem Episcopum. Non extat autem apud sanctum Gregorium; neque certè apud eum extare potest, cum compositum sit ex capite LV. libri sexti Capitularium. Qui verò alibi Burchardum errantem secutus est Ivo Carnotensis, in hoc quoque loco falli se passus est. Illum quippe referens parte VIII. cap. CLXXVIII. *ex epistola Gregorij ad Joannem Ravennatem Episcopum* accepisse se ait, etiam titulum ex Burchardo verbum è verbo accipiens.

XII. Gravissima sunt ista peccata. Sed hæc adeo sueta & familiaria sunt Vormatiensi Episcopo ut si cuncta illius sphalmata, singulos errores exagitare velim, dies me tempusque deficiat. Sed præterquam quòd reverentiæ viri tribuendum puto ut nomini famæque ejus parcatur, hujus loci non est eam curam suscipere. Satis fuerit excussisse locos ab illo relatos ex ista epistola & viam monstrasse ad inveniendos fontes ex quibus derivati sunt tot spurij canones & falsæ capitulum inscriptiones apud Gratianum, in quibus emendandis & ad originem suam revocandis frustra hætenus desudavit doctissimorum hominum diligentia. Itaque persequamur reliqua istius præfationis.

XIII. Post Burchardum & Ivonem celeberrimus ille Gratianus Decretum suum ex superiorum curis ac suis componens, etiam capite decimo epistolæ Rhabani ad Heribaldum usus est; ac tamenetsi lubricus & anceps locus esset homini post Burchardum & Ivonem scribenti, non offendit tamen ad scopulum in quem inciderat Ivo Carnotensis, Burchardi auctoritate deceptus. Nam in Decreto suo inserens caput illud decimum, solius Rhabani mentionem facit, Ilerdensis Concilij auctoritatem omittens, unde non rectè peti rectissimè admonuit nunquam factis laudatus Antonius Augustinus. Sic ergo legitur apud Gratianum *Dist. 50. cap. 34.* in vetustissimo codice MS. bibliothecæ regię: *Vnde Rabanus Archiepiscopus scribit ad Heribaldum. De his verò &c.* In antiquissimo quoque codice MS. monasterij sancti Germani de pratis: *Item Rabanus Archiepiscopus scribit ad Cheribaldum.* Et in alio veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ: *Item Rabbanus Archiepiscopus scribit ad Eribaldum.* In editione verò quæ prima Venetiis prodiit anno MCCCCLXXIX. *Item Rabanus Archiepiscopus scribit ad Eribaldum.* In Lugdunensi autem anni MDXLVIII. *Item Rabanus Archiepiscopus scribit ad Heribaldum.* Hæc tantùm. Quo etiam modo habet editio Parisiensis procurata quadriennio post ab Antonio Demochare: qui bona fide agens, nihil in contextu Gratiani addidit, sed in margine monuit simpliciter hunc locum extare apud Rhabanum cap. 1. libri pœnitentium, id est, in Pœnitentiali quod anno MDLXXXII. recusum est studio & opera Antonij Augustini. Demochare audaciores fue-

runt Correctores Romani, qui è margine in textum transtulerunt observationem ejus, sic edentes apud Gratianum: *Item Rabanus Archiepiscopus scribit ad Heribaldum, lib. pœn. c. 1.* In quo dupliciter peccatum ab illis est. Nam neque liber ille pœnitentialis inscriptus est Heribaldo, neque verba quæ heic referuntur ex epistola ad Heribaldum extant in primo ejusdem epistolæ capite, sed in decimo. Re autem vera caput quod est decimum in epistola ad Heribaldum, primo loco ponitur in libro pœnitentiali ad Otgarium misso.

XIV. Nam & illud admonendum hoc loco est, maximam partem istius epistolæ verbum è verbo descriptam esse ex libro pœnitentiali, mutato tamen ordine. Quam ob causam nos in margine istius nostræ editionis adnotatum voluimus ad quem quæque locum libri pœnitentialis referenda sint. Ex qua cura nostra illum maximum fructum percepimus, quòd cum epistola illa in multis locis esset manca & mutila, tum etiam valde corrupta, illam facile emendavimus ac supplevimus ope libri pœnitentialis. Qua in re adjumento nobis fuit etiam collectio Reginsonis.

XV. Ceterùm arbitror heic prætereundam non esse observationem Antonij Augustini; qui in præfatione sua ad libros pœnitentiales adnotat Rabanum in scribendo Pœnitentiali suo videri usum esse Corpore canonum, id est, Codice canonum Ecclesiæ Romanæ, & Isidori Mercatoris priori editione quoad Concilia tantùm attinet provincialia. *Nam Romanorum Pontificum epistulas, inquit, nullas refert præter eas quæ post*

Damasum conscripta sunt & in Corpore canonum extant.

XVI. Ex illa doctissimi viri observatione factum est ut cum antea plurimum suspecta de falsitate mihi essent aliquot lineae quae in editione Stevartij leguntur in initio capitis xxxiii. ex supposititia sancti Clementis epistola, eas Rhabano abjudicaverim, ut oratio ejus uno tenore decurreret, neque ullo externo sermone interrumperetur. Nam praeterquam quod Rhabanus nunquam utitur pseudepigraphis illis epistolis quae veteribus Romanis Pontificibus tribuntur, certum est sensum istius loci non esse sanum quando glossema illud remanebit quod illic extat in editione Stevartij. Praeterea sibi repugnet Rhabanus intra quatuor aut quinque lineas, cum in illo glossemate scriptum sit corpus Domini non mitti in secessum, & mox Rhabanus doceat tanquam rem certam idem corpus dominicum (quod in alimentum corporis redigi dixerat lib. i. de institutione Clericorum cap. xxxi.) secessui obnoxium esse more aliorum ciborum, ut hinc quoque recte adversus Heribaldum & Rhabanum collegit anonymus de quo mox dicturi sumus. Sed istam sive Heribaldi sive Rhabani sententiam cum verae fidei repugnare censeret auctor glossematis, haud dubie in margine libri sui adnotavit contrariam illam esse sententias sancti Clementis & aliorum multorum sanctorum patrum. Haec deinde observatio, ut saepe accidit, ex ora libri irrepsit in textum; unde nos illam sustulimus, quia constabat verba illa non posse esse Rhabani. Ne quis tamen conque-ri posset ablatam sibi esse saluberrimam admoni-

tionem, eandem ex textu ad marginem remigrare fecimus.

XVII. Adversus istam Rhabani lucubrationem acriter ac vehementer insurgit auctor anonymus qui libellum olim scripsit de eucharistia nuper ex schedis celeberrimi & eruditissimi viri Jacobi Sirmondi editus à R. P. Ludovico Cellotio Presbytero de Societate Jesu. Hæc sunt anonymi illius verba in præfatione libelli : *Et his quidem qui dixerunt secessui obnoxium, quod nunquam antea est auditum, id est, Heribaldo Antiodorensi Episcopo, qui turpiter proposuit, & Rhabano Maguntino, qui turpius assumpsit, turpissime verò conclusit, suus ad respondendum locus servetur.* Agit enim heic adversus caput xxxiii. istius epistolæ. Non viderat illam Cellotius cum Notas suas scriberet ad hunc anonymi libellum. Non accusasset enim illum falsi ac temeritatis, si scivisset propositam verè Rhabano fuisse eam quæstionem ab Heribaldo, datam verò fuisse responsionem illam adversus quam excandescit anonymus. Neque sanè Heribaldo, ut simplicem quæstionem proponeret, necessarium fuit nosse arcana Theologiæ, quorum expertem illum fuisse colligit Cellotius ex epistola xxxvii. Lupi Ferrariensis, ratus ea ratione convelli fidem rerum ab anonymo proditarum. Potest & idiota interrogare de secretioribus arcanis divinæ providentiæ. Sed dum in tenebris versamur, cum nondum clarissima veritatis lux nobis affulsit, necesse est semper erremus; & ut clavus clavum trudit, sic admissus semel error novos subinde errores protrudit. Ex eo enim quòd epistola ista Cellotio nota non erat factum est ut cum ea que

ab anonymo tribuuntur Rhabano putaret ab illo scripta non fuisse, de hoc autem argumento Rhabanum nihil scripsisse postquam ad summi sacerdotij fastigium euectus est, primum divinat locum Rhabani quem anonymus taxat extare in epistola ad Eigilem, Eigilem autem illum non esse Abbatem Prumiensem, sed Fuldensem ante Rhabanum, adeoque istum de hoc argumento scripsisse admodum juvenem. Frustra. Nam ex his quæ dicta hactenus sunt facile colligitur anonymum non disputare adversus epistolam quæ scripta est ad Eigilem, sed adversus eam quæ Heribaldo inscripta est, istam porro scriptam esse anno DCCCXIII. cum Rhabanus jam valde senex erat. Unde etiam sequitur Eigilem illum ad quem Rhabanus scripsit de eucharistia diversum non esse ab Eigile sive Egilone Prumiensi Abbate, qui postea fuit Archiepiscopus Senonensis.

XVIII. Cum Rhabanus satis accuratus ac diligens esse soleat in referendis veterum canonum aut doctorum locis quos adducit in ista epistola, mirum est caput xxv. ab eo tribui Concilio Ancyrano, cum inter synodi istius canones non reperiatur. Nam errorem illum imputari non posse librariorum incuriæ vel hæc res ostendit quod Regino, qui ex epistola ista Rhabani accepit quæ capite illo continentur, illud citat ex Concilio Auquirensi, ut Rhabanus fecerat. Effecit autem auctoritas utriusque uti sequentium seculorum scriptores, Burchardus nimirum & Ivo, eundem canonem tribuerint Concilio Ancyrano. Re autem vera est cujusdam veteris libri pœnitentialis. Theodori Cantuariensis

esse, quamvis diversa sint verba, colligi potest ex Capitulis quæ à Domno Luca Dacherio edita sunt in tomo IX. Spicilegij pag. 57.

XIX. Illud quoque admonitos velim lectores, displicuisse mihi prima facie, ut ipsis fortasse displicebit, vocem *Alcedronensi*, quæ extat in fronte istius epistolæ. Animus itaque erat istud mutare, quoniam certis testimoniis constabat epistolam scriptam esse ad Heribaldum Episcopum Autissiodorensis. Verùm postea deprehendi eos qui circa Rhenum & Mosellam per ea tempora scribebant, Alcedronensem urbem dixisse quam nos Autissiodorum nominamus. Annales Fuldenses ad annum DCCCXLI. *Cùm convenissent tres fratres in regione Alcedronense juxta villam Fontinatam.* Annales Metenses eodem anno: *Cùm convenissent tres fratres in regione Alcedronense juxta villam Fontaniacum.* Item urbs Alciodorensis apud Nithardum in libro secundo de diffensionibus filiorum Ludovici Pij: *Cumque insperatè propter urbem Alciodorensis interque exercitus alter ab altero videretur, confestim Lodharius &c.* Hinc pagus Alciodrifus in Capitulis Karoli Calvi tit. XII. pag. CXIV. *Hugo, Gozso, Nivilungus, Missi in Niverniso, Alciodriso, Avaliso.*

XX. Antè verò quàm præfationem hanc absolvam, operæ pretium est adnotare adeo prævaluisse apud veteres epistolam Rhabani ad Heribaldum ut nullus eorum qui post Rhabanum vixerunt, eorum videlicet qui libros decretorum composuerunt, quicquam excerpserit ex libro penitentiali ad Otgarium, qui videtur illis fuisse incognitus, sed tantùm ex epistola ad Heri-

baldum. Et tamen eadem quæ referuntur ex epistola illa, cùm extent in libro pœnitentia, poterant ex illo laudari. Epistola itaque ista utuntur Regino Abbas Prumiensis, Ivo Episcopus Carnotensis, verus canonum collector M S. in bibliotheca regia, & Gratianus, uti jam adnotatum est in hac nostra præfatione. Quod ostendit quanti momenti sit reddidisse huic epistolæ titulum suum.



RHABANI



RHABANI MAURI
 ARCHIEPISCOPI
 MOGUNTINI
 EPISTOLA
 AD HERIBALDUM
 EPISCOPUM
 AUTISSIODORENSEM.

CAPITULA

SEQUENTIS LIBELLI.

- I. **D**E homicidiis sponte commissis. extra judicem necant, & de domina quæ per zelum ancillam occidit.
- II. Item de homicidiis & falsis testibus. IV. De homicidiis non sponte commissis; & de his qui quemlibet occidunt.
- III. De his qui servos suos

Gg

- V. De administratoribus & his qui preces criminales dictant.
- VI. De populi necessario commisso.
- VII. De parricidio.
- VIII. De his qui partus suos ex fornicatione perimant.
- IX. De his quæ abortum faciunt.
- X. De his qui post sacrum ordinem capitalia crimina committunt; & eorum pœnitentia seu excommunicatione.
- XI. De Presbyteris qui uxores acceperunt vel fornicati sunt.
- XII. De his qui pœnitentiam violantes, rursus prævaricantur.
- XIII. Quòd pœnitentibus in cœna Domini sit remittendum.
- XIV. Quòd nulli ultima pœnitentia sit deneganda.
- XV. Ut qui pro illicitis veniam petit, etiam à multis licitis se absteat, nec tempore pœnitentis lucra negotiationis exerceat.
- XVI. Ne quis post pœnitentiã redeat ad militiam.
- XVII. Quòd quibusdam pœnitentibus pristina concedantur conjugia.
- XVIII. De perjurio.
- XIX. De Episcopis sive Presbyteris qui per pretium gradum & Ecclesiam acquisierunt.
- XX. De incestis conjunctionibus, & de eo qui filiolam suam vel matrem duxerit uxorem.
- XXI. De his qui adultarium committunt.
- XXII. De his qui mœchantur.
- XXIII. De virginibus Deo sacratis, sive secularibus, si mœchaverint.
- XXIV. De his qui se sacris virginibus sociant; & de virginibus non velatis, si mœchaverint.
- XXV. De his quæ inter se fornicantur; & de his quæ semen virorum suorum pro libidine cibo vel potui miscent.
- XXVI. De his qui se gentilibus vel Judæis junxerunt.
- XXVII. De his qui cum Judæis vescuntur.
- XXVIII. De his qui uxorem simul & concubinam habent.
- XXIX. De conjugatis qui nubere non possunt.
- XXX. De his quæ menstruum sanguinem aliis in cibo vel potu dant, & de his qui magicam artem divinatione & augurio observant.
- XXXI. De sortilegis & auguribus.
- XXXII. De his qui fornicantur irrationabiliter.
- XXXIII. De eucharistia.
- XXXIV. De restitutione Ebonis Episcopi.



RHABANI MAURI
 ARCHIEPISCOPI
 MOGUNTINI
 EPISTOLA
 AD HERIBALDUM
 EPISCOPUM
 AUTISSIODORENSEM.

DILECTO fratri Heribaldo Alcedronensi antistiti Rhabanus peccator & servorum Dei vilissimus servus in Christo salutem. Capitula quædam in pittatio scripta per nuntium Cunradi Comitis mihi allata sunt; quæ de diversis quæstionibus me vobis respondere coegerunt. Sed quia figillatim omnibus respondere non valui, strictim ea denotare curavi. Fuerunt enim ibi loca quædam quæ de homicidio facto interrogabant, quædam de fornicatio-

G g ij

ne & adulterio, quædam etiam de his qui ante gradum se libidine polluerunt; quædam autem de illis qui post gradum acceptum se coinquinaverunt, & tamen ab officio ecclesiastico & ministerio altaris se prohibere noluerunt. Præter cetera quoque alia capita ibi inveni scripta, de quibus me respondere postulastis. Ego autem ea quæ in sacris canonibus inde explicita reperi, in præsentī epistola inserere non tardavi. Vos autem inde facite quod justum vobis videtur, & quod sacra scriptura vos agere docet. In libris enim veteris & novi testamenti quàm abominabilia sint coram Deo homicidia, fornicationes, avaritia, maleficia, & magicæ artis scelera, omnésque malorum operum actiones, manifestissimè declaratur. de quibus pauca hîc inserere curavi. Ceterùm autem de ipsis divinis libris, si colligere intente volueritis, & eis obedire decernitis, quid vobis agendum & salubre sit, per vosmetipfos valetis investigare & utile documentum inde accipere. Deus autem dirigat cor vestrum & studium in omne opus bonum; ut præsentī vita ea doceatis atque agatis quæ sibi sunt placita, sicque per ejus gratiam ad mercedem plenam & ad vitam perveniatis æternam.

Prohibentur enim in lege Domini homicidia & adulteria, sicut suprâ scriptum est, omniâque vitia. Unde in Levitico scriptum est
Levit. 20. 3 quòd Dominus jussit populo suo dicens:
 » Sanctificamini, & estote sancti, quia ego sanctus Dominus Deus vester. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere. Non stabis contra sanguinem proximi tui.

Ne oderis fratrem in corde tuo, sed publicè “
 argue eum, ne habeas super illo peccatum. “
 Non quæras ultionem, nec memor eris inju- “
 riæ civium tuorum. Qui maledixerit patri vel “ *Levit. 20.*
 matri, morte moriatur. Patri matrîque qui “
 maledixerit, sanguis ejus super eum. Si mœ- “
 chatus fuerit quis cum uxore alterius, & adul- “
 terium perpetraverit cum conjuge proximi “
 sui, morte moriantur & mœchus & adultera. “
 Qui dormierit cum noverca sua, & revelave- “
 rit ignominiam patris sui, morte moriantur “
 ambo, & sanguis eorum sit super eos. Qui “
 dormierit cum masculino coïtu femineo, & uter- “
 que operatus est scelus, morte moriantur; “
 sanguis eorum super eos. Si quis dormierit “
 cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus “
 operati sunt. Sanguis eorum super eos. Qui “
 super uxorem filiam duxerit matrem ejus, sce- “
 lus operatus est. Sanguis ejus super eos. vivus “
 ardebit cum eis. nec permanebit tantum nefas “
 in medio vestrum. Qui cum jumento & peco- “
 re coïerit, morte moriatur. pecus quoque oc- “
 cidite. Mulier quæ succubuit cuilibet jumen- “
 to, simul interficietur cum eo. Sanguis ejus su- “
 per eam. Qui acceperit sororem suam filiam “
 patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit tur- “
 pitudinem ejus, illâque conspexerit fratris ig- “
 nominiam, nefariam rem operati sunt. occi- “
 dentur ambo in conspectu populi, eò quòd “
 turpitudinem suam mutuò revelaverunt, & “
 portabunt iniquitatem suam. Qui coïerit cum “
 muliere menstruata, & revelaverit turpitudi- “
 tudinem ejus, ipsâque aperuerit fontem san- “
 guinis sui, interficiantur ambo de medio po- “

» puli. Turpitudinem amitæ & materteræ tuæ
 » non discooperies. Qui hoc fecerit, ignomi-
 » niam carnis suæ nudavit. portabunt ambo ini-
 » quitatem suam. Qui coierit cum uxore patru-
 » vel avunculi sui, & revelaverit ignominiam
 » cognationis suæ, portabunt peccatum suum.
 » absque liberis morientur. Qui duxerit uxorem
 » fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem
 » fratris sui revelavit. absque liberis erunt. Ne
 » polluaris animas vestras in pecore & in avibus
 » & cunctis quæ moventur in terra, & quæ vo-
 » bis ostendi polluta esse. Vir sive mulier in qui-
 » bus pythonicus vel divinationis fuerit spiri-
 » tus, morte moriantur. lapidibus obruent eos.
 » & sanguis eorum sit super eos. Custodite leges
 » meas atque judicia, & facite ea; ne & vos
 » evomat terra quam intraturi estis & habitatu-
 » ri. Nolite ambulare in legitimis nationum,
 » quas ego expulsurus sum in vos.

Sed hoc non solum in veteri testamento,
 sed etiam in novo, cultoribus Dei similiter
 agere omnino vetatur. De concupiscentiis ve-
 ro carnalibus Paulus ad Galatas scribens ita
Gal. 5. » loquitur: Dico autem: Spiritu ambulate, &
 » desideria carnis non perficietis. Caro enim
 » concupiscit adversus spiritum, spiritus autem
 » adversus carnem. Hæc enim sibi invicem ad-
 » versantur; ut non quæcunque vultis, illa fa-
 » ciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub
 » lege. Manifesta autem sunt opera carnis: quæ
 » sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, ido-
 » lorum servitus, veneficia, inimicitia, conten-
 » tiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones,
 » sectæ, * hæreses, invidia, ebrietates, comef-

* Hæc vox
 non extrat
 apud Pau-
 lum.

fationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est, caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Si vivimus spiritu, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, invicem provocantes.] Et paulo post: Nolite errare. Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus.

Cùm enim illa omnia vitia quæ supra nominata sunt tam à legislatore quàm etiam ab Apostolo noxia * prohibentur, & cultoribus * *f. probentur* Dei divina auctoritas prohibet facere, pœnàmque eis qui hæc agunt minatur perpetuam, è contrario verò spiritualia dona laudat Apostolus, hortaturque per omnia sequenda, bonum est ut caveamus omne peccatum & omne scandalum, quantum Dominus nos posse donaverit, & faciamus quæ sibi sunt placita & lex Domini nobis mandat; quia sic & in præsentis & in futuro ejus misericordiam & protectionem inveniemus. Si enim, juxta historiam, legislator transgressoribus mandatorum Dei minatus est carnis mortem & præsentis vitæ terminum, quanto magis nobis

Coloss. 3.

juxta mandatum salvatoris & evangelicam doctrinam formidanda est mors animæ & pœna perpetua quàm illa quæ finem quodammodo habuit, ista autem sine termino cruciabit noxios? Unde necesse est ut in præfenti vita, juxta Apostolum, mortificemus membra nostra quæ sunt super terram, hoc est, desideria carnis nostræ & voluptates terrenas in nobis extinguere contendamus, vitiâque omnia, quantum nos Dominus posse concedit, procul expellamus, Deique voluntati & mandatis ejus obtemperare satagamus; quoniam sic mortem perpetuam evadere & ad vitam æternam Domino largiente pervenire possumus. Dehinc quoque ad interrogata, quantum possumus, breviter juxta canonum instituta respondere curemus.

De homicidiis sponte commissis.

C A P. I.

PRIMUM ergo de homicidij perpetrati-
one quid sacri canones fanciant, & qualiter
pœnitentia his agenda sit qui hoc commise-
rint, breviter denotare curavimus. In Conci-
lio Ancyrano cap. XXI. de homicidiis scrip-
tum est: Qui voluntariè homicidium fecerint,
pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, per-
fectionem verò circa vitæ exitum conse-
quantur.

Pœnit. Rhab.
c. 12.Regino lib.
2. c. 10.

Item de homicidiis & falsis testibus.

C A P. II.

Pœnit. Rhab.
c. 13.

In Concilio Agathensi cap. XXXVII. de

homicidiis & falsis testibus scriptum est : Ita-
que censuimus homicidas & falsos testes a
communione ecclesiastica submovendos , nisi
pœnitentiæ satisfactione crimina admittâ di-
luerint.

Regino lib.
2. c. 12.

*De his qui servos suos extra judicem necant , &
de domina quæ per zelum ancillam occidit.*

C A P. III.

Item in Concilio Agathensi cap. LXII. scriptum est de his qui servos suos extra judicem necant : Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit , excommunicatione vel pœnitentia biennij reatum sanguinis emundabit.

Pœnit. Rhab.
c. 14.

Regino lib.
2. c. 26.

Item in Concilio Elibertino cap. v. ita scriptum est : De domina quæ per zelum ancillam occiderit , ita ut infra diem tertium animam cum cruciatu effundat , eò quòd incertum sit voluntate an casu occiderit , si voluntate , post septem annos , si casu , per quinque annorum curricula acta legitima pœnitentia , ad communionem admitti placuit. Quòd si infra tempora constituta fuerit infirma , accipiat communionem.

Pœnit.

Rhab.

ibid.

Regino lib.
2. c. 58.

De homicidiis non sponte commissis , & de his qui quemlibet occidunt jussu Principis.

C A P. IV.

In Concilio Ancyrano cap. XXI. scriptum est de his qui non sponte homicidium commiserint : De homicidiis non sponte commissis

Pœnitentia-
le Rhabani
c. 15.

» prior quidem diffinitio post septennem pœni-
» tentiam perfectionem consequi præcepit ; se-
» cunda verò , quinquennij tempus explere.

Pœnitentiale
Rhabani ibid.
Regino lib. 2.
c. 50.

Quòd autem quidam homicidium quod nu-
per in seditione & prælio Principum nostro-
rum perpetratum est excusant , quasi non ne-
cesse sit pro hoc cuilibet agere pœnitentiam,
eò quòd jussu Principum nostrorum peractum
sit , & Dei judicio ita finitum. Scimus enim
quòd Dei judicium semper justum est , & nul-
la reprehensione dignum. de quo etiam scrip-
tum est :

Psal. 144.

» *Justus Dominus in omnibus viis suis,*
» *& sanctus in omnibus operibus suis. qui judicat*
» *orbem terra in equitate , & populos in veritate*
» *sua. sine quo nec passer cadit super terram.]*

Psal. 35.

Sed nemo judicia Dei penetrare potest : quo-
niam scriptum est : *Judicia tua, abyssus multa.*
Unde oportet eos considerare qui hanc necem
nefariam defendere cupiunt , utrum illos co-
ram oculis Dei quasi innoxios excusare possint
qui propter avaritiam , quæ omnium malorum
radix est , & idolorum servituti comparatur ,
atque propter favorem dominorum suorum
temporalium , æternum Dominum contemp-
serunt , & mandata illius spernentes , non ca-
su , sed industria , homicidium perfecerunt.
Nam de his legimus qui homines non sponte
interficiunt Deum per legislatorem urbes re-
fugij deputasse ; ad quas confugientes salva-
rentur ab ultore sanguinis proximi sui , & non
morerentur. Unde in Deuteronomio scriptum

Deuter. 19.

» est : *Hæc lex homicidæ erit cujus vita servan-*
» *da est. Qui percusserit proximum suum nef-*
» *ciens , & heri & nudius tertius nullum odium*

contra eum habuisse comprobatur, sed abiisse
 cum eo simpliciter ad ligna cædenda, & in
 succisione lignorum securis fugerit de manu
 aut ferrum lapsum de manubrio amicum ejus
 percusserit & occiderit, hic ad unam urbium
 supradictarum confugiat, & vivat, ne proximus
 ejus cujus sanguis effusus est, stimulo do-
 loris percutiat animam ejus.] De eo verò qui
 per industriam aliquem occiderit, in Exodo ita
 præceptum est: Si quis per industriam & per
 insidias occiderit proximum, ab altari meo
 eum evelles, ut moriatur.] Et in Deuterono-
 mio: Si quis, inquit, odio habens proximum
 suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, & percusse-
 rit eum surgens, & mortuus fuerit, & fugerit
 ad unam de supradictis urbibus, mittent senio-
 res illius civitatis, & eripient eum de loco re-
 fugij, & tradent eum in manus proximorum
 ejus cujus sanguis effusus est, & morietur; nec
 misereberis ejus.] Si ergo eum quem Domi-
 nus dignum morte judicavit, reum non esse
 quis dicat, quomodo contrarius legi Dei non
 existit qui hoc quod Dominus præcepit, cas-
 sum esse contendit? Videndum ergo illi est ne
 fortè ipse in illorum numero sit quibus per
 Prophetam dicitur: Væ vobis, inquit, qui di-
 citis malum bonum, & bonum malum, lucem
 tenebras, tenebras lucem, vel amarum dulce,
 dulce amarum.] Tales ergo mortificant ani-
 mas quæ non moriuntur, & vivificant quæ
 non vivunt.

Qui ergo malorum sine condigna pœniten-
 tia quemquam veniam à Deo percipere dixe-
 rit, penitus errat; & cùm deceptus alios deci-

pere festinat, duplici noxa constringitur, hoc est, proprii erroris, & alienę deceptionis. Sed inter hæc sciendum est quòd magna distantia est inter legitimum Principem & seditiosum tyrannum, inter eum qui subvertere nititur Christianæ pacis tranquillitatem & illum qui armis contra iniquitatem certat defendere æquitatem. De quo plurima sub lege vetere & sub novo testamento fortium virorum exempla inveniuntur, quæ possunt nos instruere quid de hujusmodi debeamus sentire.

De administratoribus & his qui preces criminales dictant.

C A P. V.

Pœnit. Rhab.
c. 16.

De administratoribus autem, qui judicia secularia secundum legem majorum suorum exercent, quid sacri canones sentiant, facile est invenire. Nam in decretis Innocentij Pape cap. XXI. ita legitur: Quæsitum est etiam super his qui post baptismum administraverunt, aut tormenta sua exercuerunt, aut etiam protulerunt capitalem sententiam. De his nihil legimus à majoribus diffinitum. Meminerant enim à Deo potestates has esse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, Dei ministrum datum esse in hujusmodi vindicem. Quemadmodum igitur reprehenderent factum quod auctore Deo videntur esse concessum. De his ergo ita ut hactenus servatum est, sic habemus; ne aut disciplinam evertere aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Iphis autem in ratione

reddenda gesta sua omnia servabuntur.

Item in eisdem decretis cap. xxv. scriptum Pœnit. Rhab. ibib.
 est quòd qui preces criminales dictant, ha-
 beantur immunes: Illud etiam sciscitari volui-
 sti, an preces dictantibus liberum concedatur,
 utique post baptismi regenerationem, à Prin-
 cipibus poscere mortem alicujus, vel sangui-
 nem de reatu. Quam rem Principes nunquam
 sine cognitione concedunt, sed ad iudices com-
 missa ipsa vel crimina semper remittunt, ut,
 causa cognita, judicentur. Quæ cum quæsito-
 ri fuerint allegata, aut absolutio aut damnatio
 pro negotij qualitate profertur. Et, dum legum
 in improbos exercetur auctoritas, erit dictator
 immunis.

De populi necessario commisso.

C A P. V I.

De populi autem necessario commisso, quo- Pœnit. Rhab. c. 17.
 modo inultum soleat præteriri, idem Papa
 quibusdam Episcopis de Macedonia ad inter-
 rogata respondens, ita scribit dicens: Provi-
 deat ergo dilectio vestra hætenus talia transi-
 se, & advertite quòd utique, ut dicitis, neces-
 sitas imperavit, in pace etiam Ecclesias con-
 stitutas non posse præsumere, sed, ut sæpe ac-
 cidit, quoties à populis aut à turba peccatur,
 quia in omnes propter multitudinem non po-
 test vindicari, multùm solere transire. Priora
 ergo dimittenda dico Dei iudicio, de reliquo
 maxima sollicitudine præcavendum.] Non
 enim hîc, ut mihi videtur, iste doctor aposto-
 licus dicit non necessarium esse populo pro

Decreta In-
noc. I. c. 56.

malè commissis agere pœnitentiam : sed quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari , priora dimittenda Dei iudicio ; de reliquo maxima sollicitudine præcavendum, ne fiant.

De parricidio.

C A P. VII.

Pœnit. Rhab. c. 11.
 Regino lib. 2. c. 28.
 Gen. 4. Parricidium autem quàm sit detestabile crimen , iudicio facto inter Cain & Abel fratrem suum Dominus ipse ostendit , cùm ad Cain suum fratrem ait : Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum , & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam , non dabit fructus. Vagus & profugus eris super terram.] In quo etiam posuit lignum , hoc est , ut gemens & tremens & profugus viveret semper , nec uspiam sedes haberet quietis. Sed quia in modernis temporibus parricidæ profugi discurrunt per diversa loca , & variis vitiis atque gulæ illecebris deserviunt, melius mihi videtur ut in uno loco manentes, pœnitentia districta semetipsos castigent , si fortè à Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit ultrà cingulum militiæ sumere & nuptiis atque conjugij copula uti , quia sacri canones hoc eis non concedunt , sicut postmodum de pœnitentibus pro culpis gravibus decreta synodica decernere ostensuri sumus.

Regino lib. 2. c. 29.

* * *

*De his qui partus suos ex fornicatione
perimunt.*

CAP. VIII.

Itaque in Ancyrano Concilio cap. xx. scrip- Pœnit. Rhab.
c. 11.
tum est de his quæ partus suos ex fornicatione
conceptos diversis modis interimunt : De mu- Regino lib.
2. c. 63.
lieribus quæ fornicantur, & partus suos ne-
cant, vel quæ agunt secum ut utero concep-
tos excutiant, antiqua quidem diffinitio usque
ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removeri iussit.
Humanitatis autem nunc diffinimus ut eis de-
cem annorum tempus pœnitentiæ largiamur.

Item in Concilio Elibertino cap. LXIII. Pœnit. Rhab.
ibid.
scriptum est de his quæ filios suos ex adulterio
necant : Si qua per adulterium absente viro Regino lib.
2. c. 65.
conceperit, idque post facinus occiderit, pla-
cuit vix in fine dandam esse communionem,
eò quòd geminaverit scelus.

De his quæ abortum faciunt.

CAP. IX.

Item in Concilio Hilerdensi cap. II. scrip- Pœnit. Rhab.
c. 11.
tum est de his quæ abortum faciunt, vel natos
extingunt : Hi verò qui malè conceptos ex Regino lib.
2. c. 64.
adulterio factos, vel editos necare studuerint,
vel in ventribus matrum potionibus aliquibus
colliferint, in utroque sexu adulteris, post sep-
tem annorum curricula communio tribuatur,
ita tamen ut omni tempore vitæ suæ fletibus &
humilitati insistant.

De his qui post sacrum ordinem capitalia crimina committunt, & eorum pœnitentia, seu excommunicatione.

CAP. X.

Pœnit. Rhab.
c. 1.
Burchard. lib.
10. c. 150.
Ivo parte 6.
c. 400.
Gratian. dist.
50. cap. De
his.

* *Vetus colle-
ctio canonum
MS. in bi-
bliotheca re-
gia : peccatis
absconditè à
se admissis per
occ. con. co-
ram oc. D.
* Cod. MS.
queruntur*

De his ergo visum est vobis conscribi qui sacros ordines habent, & ante vel post ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur. In quibus, ut mihi videtur, hæc distantia debet esse, ut hi qui deprehensi vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & ceteris hujusmodi criminibus, secundùm sacrorum canonum instituta à gradu proprio deponantur: quia scandalum est populo Dei tales personas super se positas habere quas ultra modum vitiosas esse constat. Nempe inde homines detrahunt sacrificio Dei, sicut quondam filiis Heli precantibus fecisse leguntur; & rebelles hinc atque contrarij existentes, eorum pravis exemplis cotidie pejores fiunt. Qui autem de prædictis * vitiis per occultam confessionem malabs se absconsè commissa coram oculis Dei, præsentem etiam sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiam, confitentur, & semetipfos graviter deliquisse * accusant, si veraciter pœnituerint, & se per jejunia & eleemosynas vigiliâsque atque sacras orationes cum lacrymis purgare certaverint, his etiam, gradu servato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est, qui omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire, neque vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.

Nam

Nam de illis qui ad honorem presbyterij sine ^{Pœnit. Rhab.}
 ne examine provecti sunt in Concilio Nicæno ^{ibid.}
 cap. i x. scriptum est : Si qui Presbyteri sine
 examine provecti sunt , vel cùm discuterentur ,
 peccata sua confessi sunt , & homines
 contra canones commoti , manus confessis im-
 ponere tentaverunt. Tales regula non admit-
 tit : quia quod irreprehensibile est catholica
 defendit Ecclesia.

Item in Neocæsarensi Concilio cap. i x. ^{Pœnit. Rhab.}
 de his ita scriptum est : Presbyter si præoccu- ^{ibid.}
 patus corporali peccato provehatur , & con-
 fessus fuerit de se quòd ante ordinationem
 suam deliquerit , oblata non consecret , ma-
 nens in reliquis officiis propter bonum stu-
 dium. Nam reliqua peccata plerique dixerunt
 per manus impositionem posse dimitti. Quòd
 si de se ipso non fuerit confessus , & argui ma-
 nifestè non potest , potestatis suæ iudicio re-
 linquatur.

Item in eodem Concilio cap. x. Simili mo- ^{Pœnit.}
 do etiam Diaconus , si eodem peccato succu- ^{Rhab.}
 buerit , ab ordine ministerij detrahatur. ^{ibid.}

De illis qui post acceptum gradum pecca- ^{Pœnit. Rhab.}
 verint , tertio Apostolorum canone ita legitur : ^{ibid.}
 Episcopus , Presbyter , aut Diaconus , qui in
 fornicatione , aut perjurio , aut furto captus
 est , deponatur , non tamen communionem pri-
 vetur. Dicit enim scriptura : *Non iudicabit*
Dominus bis in idipsum. ^{Nahum i.}

Item in canone Apostolorum cap. x x i x. Si ^{Pœnit.}
 quis Episcopus , Presbyter , aut Diaconus de- ^{Rhab.}
 positus justè super certis criminibus , ausus fue- ^{ibid.}
 rit attrectare ministerium sibi commissum , hic

„ ab Ecclesia penitens projiciatur.

Pœnit. Rhab.
ibid.

Accusationem autem adversus sacri ordinis viros facile non recipiendam, sed prius causam diligenter examinandam, & postea iudicium inferendum, Apostolus docet scribens

1. Tim. 5.

„ ad Timotheum. Accusationem, inquit, adversus Presbyterum non recipias nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant.

Pœnit. Rhab.
ibid.

Quales autem ipsi testes esse debeant, in Africano Concilio manifestatur; ubi cap. vi. & xv. ita scriptum: Placuit ut omnes servi vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt; omnes infamiae maculis aspersi, id est, histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ. Hæretici etiam, sive pagani, sive Judæi. Sed tamen omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia deneganda non est.

Pœnit.
Rhab.
ibid.

Item in eodem cap. xcix. Testes non admittendos ad testimonium qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de domo sua produxerit. Ad testimonium autem intra annos xv. ætatis suæ non admittatur.

Pœnit.
Rhab.
ibid.

Item cap. xcvi. Placuit quotiescunque Clericis ab accusatoribus multa crimina obiciuntur, & unum ex his, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cetera non admittatur.

Pœnit. Rhab.
ibid.
urchard. lib.
B9. c. 151.

De his autem quorum occulta sunt peccata, nec manifestè ab aliquo argui possunt, si salubriter compuncti pro peccatis confessionem

coram Episcopo sive Presbytero occultè faciunt, bonum mihi videtur ut secundùm id quod sibi decretum fuerit ab Episcopo sive Presbytero, pœnitentiam agant, non tepidè, non tardè, sed ferventer & sollicitè; ac sic se veniam à Domino percepturos & gradum recuperaturos confidant. Quod etiam beatus Gregorius Papa in epistola quam ad Secundinum servum Dei inclusum scripsit ita probat dicens: Nam tua sanctitas à nobis requisivit ut tibi rescriberem de sacerdotali officio post lapsum resurgendi auctoritates, dum dicis de hoc canones diversos te legissè, diversâsque sententias invenissè, alias resurgendi, alias nequaquam posse. Nam nos generaliter à Nicæna incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur, quia ipsam sequentes ceteræ in cunctis sententiis unanimes concordant. Nos ergo præcedentes nos patres sequimur; quia, auctore Deo, ab illorum doctrina non discordamus. A capite itaque incipientes, usque in quartum altaris ministrum hanc formam servandam cognoscimus, ut sicut minorem major præcedit in honore, ita & in crimine, & quem major sequitur culpa, major ei implicetur vindicta, & sic postea pœnitentia credatur fructuosa esse. Quid enim prodest triticum seminare, & fructum illius non colligere? aut domum instruere, & illic non habitare? Post dignam enim satisfactionem credimus posse redire ad honorem, Propheta dicente: *Numquid qui cadit, non adjiciet ut resurgat? Et: Qui aversus est, non revertatur?* Idem & peccatori ait: *In quacunque die conversus ingemueris, sal-*

lvo parte 15.
c. 160.

S. Gregor.
lib. 7. In-
dict. 2. ep.
53.

Psal. 40.

Ezech. 3.

- psal. 50. » *us eris.* Unde & Psalmista ait: *Cormundum*
 » *crea in me Deus, & spiritum rectum innova in*
 » *visceribus meis. Ne projicias me &c.* Dum
 » enim petit ne abjiciatur pro lapsus culpa,
 » (Alienam quippe Rex simul & Propheta ra-
 » puisse uxorem se expavit) Propheta judicante
 » flagitium suum, pœnitentiam agens addidit:
 » *Redde mihi letitiam salutaris tui; & spiritu*
 » *principali confirma me.* Si enim Deo dignam
 » pœnitentiam non fecisset, nequaquam aliis
 » prædicaret: *Docebo iniquos vias tuas.* Dum
 » enim peccata sua prospexit Propheta mundata
 » per pœnitentiam, non dubitavit prædicando
 » castigare aliena. Et sic sacrificium semetipso
 » offerre studuit cùm dicebat: *Sacrificium Deo*
 » *spiritus contribulatus.* Ad hæc ista sufficerent.
 » Sed omnis sententia, quò plùs sacræ scripturæ
 » testimoniis confirmatur, faciliùs creditur. De
 » hoc enim Propheta ait: *Nolo mortem peccato-*
 » *ris, sed magis ut convertatur & vivat.* De hoc
 » peccantibus dicitur: *Peccator in quacunque die*
 » *conversus ingemuerit, omnes iniquitates ejus in*
 » *oblivionem tradentur.* Si enim redemptor no-
 » ster, qui peccatores non perdere sed vivificare
 » venit, in oblivione delicta peccantium dere-
 » linquit, quis hominum condemnanda reser-
 » vet, cùm Apostolus dicat: *Si Deus justificat,*
 » *quis est qui condemnet?* Ad fontem misericordiæ
 » revertentes evangelicam proferamus senten-
 » tiam. *Gaudium est angelis,* inquit, *super uno*
 » *peccatore pœnitentiam agente plus quàm supra*
 » *nonaginta novem justis, qui non indigent pœni-*
 » *tentia. Et ovem perditam, nonaginta novem*
 » *non errantibus relictis, humero ad ovile reporta-*

vit. Si ovis errans post inventionem ad ovile
 reportatur, cur iste post pœnitentiam ad Ec-
 clesiæ ministerium non revocetur? Quid est
 ergo gravius carnale delictum admittere, sine
 quo non multi sed pauci inveniuntur, aut fi-
 lium Dei timendo negare? In quo peccato ip-
 sum beatum Petrum principem Apostolorum,
 ad cuius nunc corpus indigni sedemus, lapsum
 esse cognoscimus. Sed post negationem pœni-
 tentia secuta est, & post pœnitentiam miseri-
 cordia data: quia illum ab apostolatu non de-
 jecit, qui antè se ipsum negare prædixit.

Tibi hæc, fili carissime, dicta sufficiant, ut
 illum quem conspicias delicta fletu delere, in
 conspectu divinitatis non dubites misericor-
 diam consequi: quia nullum peccantem rever-
 sum despicit qui peccantes suo sanguine redi-
 mere venit.

Hinc etiam beatus Augustinus ad Petrum
 Diaconum de fide scribens ait: Omni homini
 in hac vita esse potest utilis pœnitentia; quam
 quocumque tempore homo egerit, quamlibet
 iniquus, quamlibet annosus, si ex toto corde
 renuntiaverit peccatis præteritis, & pro eis in
 conspectu Dei, non solum corporis, sed etiam
 cordis lacrymas fuderit, & malorum operum
 maculas bonis operibus diluere curaverit, om-
 nium peccatorum indulgentiam mox habebit.
 Hoc enim nobis Dominus prophetico eloquio
 promittit dicens: *Si conversus fuerit, & inge-
 muerit, salvus erit.* Et alio loco dicitur: *Fili,
 peccasti? Non adjicias iterum; sed de præteritis
 deprecare, ut tibi dimittantur.* Nunquam esset
 peccanti indicta pro peccatis deprecatio, si de-

Pœnit. Rhab.
 ibid.

August. in
 lib. de fide
 ad Petrum
 c. 3.

Esa. 30.

Eccli. 21.

» precanti non esset remissio concedenda. Sed
 » etiam pœnitentia peccatori tunc prodest, si
 » eam in Ecclesia catholica quis gerat, cui Deus
 » in persona beati Petri Apostoli ligandi solven-
 » di que tribuit potestatem dicens: *Quæ alliga-*
 » *veris super terram, erunt ligata & in cœlis; &*
 » *quæ solveris super terram, erunt soluta & in*
 » *cœlis.* In quacunque igitur homo ætate veram
 » peccatorum suorum pœnitentiam egerit, &
 » vitam suam Deo illuminante correxerit, non
 » privabitur indulgentiæ munere: quia Deus, si-
 » cut per Prophetam dicit, non vult mortem
 » peccatoris, tantum ut revertatur à via sua ma-
 » la, & vivat anima sua. Veruntamen nullus
 » hominum debet sub spe misericordiæ Dei in
 » suis diutiùs remanere peccatis, cum & in ipso
 » corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diu-
 » tiùs ægrotare. Tales enim, qui ab iniquitati-
 » bus suis recedere negligunt, & sibi de Deo ve-
 » niam repromittunt, nonnunquam ita præve-
 » niuntur repentino Dei furore ut nec conver-
 » sionis tempus nec beneficium remissionis in-
 » veniant. Ideo unumquemque nostrum sancta
 » scriptura præmonet dicens: *Ne tardaveris*
 » *converti ad Dominum, & ne differas de die in*
 » *diem. Subitò enim veniet ira ejus, & in tempo-*
 » *re vindictæ disperdet te.* Dicit etiam beatus
 » David: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite*
 » *obdurare corda vestra.* Cui quoque beatus Pau-
 » lus concordat his verbis: *Videte, fratres, ne*
 » *foriè sit in aliquo vestrum cor malum increduli-*
 » *tatis discedendi à Deo vivo; sed adhortamini*
 » *vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cog-*
 » *nominatur, ut non obduretur quis ex vobis fal-*

Matth. 18

Ezech. 33.

Eccli. 5.

Hebr. 3.

lacia peccati. Obdurato igitur corde vivit qui se non convertit, desperans de indulgentia peccatorum, sive qui sic misericordiam Dei sperat ut usque in finem vitæ præsentis in suorum perversitate criminum remaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentésque justitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis, scientes quia illa omnium hominum debita sit exactura æquitas justissimi judicis quæ non dimiserit misericordia clementissimi redemptoris. Sicut enim misericordia suscipit absolvitque conversos, ita justitia repellet & puniet obduratos. Hi sunt qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc seculo neque in futuro remissionem accipient peccatorum.

Nam & de hoc Isidorus Hispalensis Episcopus ad inquisitionem Masonis Episcopi ita scribit dicens: Verum quod sequenter venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla est in ejusmodi sententiis decretorum diversitas intelligenda, quòd alibi legitur in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi post hujusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diversitas hoc modo distinguitur. Illos enim ad pristinos officij gradus sedire canon præcipit quos pœnitentiæ præcessit satisfactio. At contra, hi qui neque à vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale peccatum, quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris nec gratiam communionis recipiunt. Ergo ita est diri-

Pœnit. Rhab.
ibid.

„ munda utraque sententia ut necesse sit illos
 „ restaurari in loco honoris qui per pœnitentiam
 „ reconciliationem meruerunt divinæ pietatis.
 „ Hi, nec immeritò, consequuntur adeptæ dig-
 „ nitatis statum qui per emendationem pœni-
 „ tentiæ recepisse noscuntur vitæ remedium. Id
 „ enim, ne fortè sit magis ambiguum, divinæ
 „ auctoritatis sententia confirmetur. Ezechiel
 „ enim Propheta sub typo prævaricantis Hieru-
 „ salem ostendit, post pœnitentiæ satisfactio-
 „ nem, pristinum restaurari honorem posse:

Ezech. 16. „ *Confundere, ô Juda, & porta ignominiam*
 „ *tuam. Et post paululum. Et tu, inquit, & fi-*
 „ *lia tua revertimini ab iniquitate vestra.* Quòd
 „ dixit *confundere*, ostendit post confusionis &
 „ deprecationis opus debere quemquam erubel-
 „ cere & pro admittis sceleribus verecundam
 „ frontem humi prostratam demergere, pro eo
 „ quòd dignum confusionis perpetraverit opus.
 „ Deinde præcepit ut portet ignominiam depo-
 „ sitionis suæ, lugens cum humilitate quod pec-
 „ caverit; sicque revocari secundùm Prophe-
 „ tam ad priorem statum poterit.

„ Item Johannes Evangelista angelo Ephesi
 „ Ecclesiæ inter cetera simile quiddam scribit:
Apoc. 2. „ *Memor esto, inquit, unde cecideris, & age pœ-*
 „ *nitentiam, & prima opera fac. alioquin veniam*
 „ *tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ejus.*

„ In angelo Ecclesiæ præpositum utique, id est,
 „ sacerdotem, ostendit, juxta Malachiam, qui
Malach. 2. „ dicit: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam,*
 „ *& legem exquiram de ore ejus; quia angelus*
 „ *Domini exercituum est.* Præpositus ergo lapsus
 „ in vitium, per evangelistam monetur ut me-

mor sit unde ceciderit, & pœnitentiam agat, & prima faciat opera, ut non moveatur candelabrum ejus. Nam candelabrum angeli doctrina sacerdotalis vel honor potestatis, quem gestat, intelligitur, juxta quod scriptum est apud Samuelem in damnatione Heli: *Oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.* Lucerna quippe Dei fuerat quando dignitate sacerdotali pollens, justitiæ claritate fulgebat; quam extinctam Propheta asserit, dum ob scelera filiorum sacerdotis potestatem meritorumque lumen amisit. Candelabrum ergo sive lucerna sacerdotis, quæ intelliguntur charismata honoris, tunc penitus, juxta Johannem, extinguitur & movetur quando post delicti casum, neglecta pœnitentia, admissa scelera non desunt. Non enim dixit, *pro eo quod cecidisti, movebo candelabrum tuum de loco suo; sed: nisi pœnitentiam egeris, movebo candelabrum tuum.* Ergo quemque præpositum peccantem si prævenit pœnitentia delicti, utique sequetur & meriti. Et in proverbii scriptum est: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur. Qui confes- sus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Nam & ipsum quod canonum censura post septem annos remeare pœnitentem in statum pristinum præcepit, non hoc electione proprii arbitrii sancti patres, sed potius ex sententia divini judicii, sanxerunt. Nam legitur quod soror Aaron Maria, dum obduratis adversus Moysen incurrisset delictum, illico stigmate lepræ perfusa est. Cumque peteret Moyses ut emundaretur, præcepit eam

1. Reg. 3.

Prov. 28.

» Dominus extra castra septem diebus egredi, &
 » post emundationem rursus in castra admitti.
 » Maria ergo soror Aaton, caro intelligitur sa-
 » cerdotis: quæ dum superbix dedita sordidissi-
 » mis corruptionum contagiis maculatur, extra
 » castra septem diebus, hoc est, extra collegium
 » sanctæ Ecclesiæ septem annis projicitur; ubi,
 » post emundationem vitiorum, loci sive pristi-
 » næ dignitatis recipiet meritum. Ecce, in quan-
 » tum valui, Concilij Ancyrani antiquam planè
 » & plenam auctoritate sententiam sacris testi-
 » moniis explanavi, ostendens eum posse restau-
 » rari proprio honore qui per pœnitentiæ satis-
 » factionem novit propria delicta deflere, eum
 » verò non posse restaurari qui nec luget quæ
 » agit & lugenda sine ullo pudore religionis vel
 » timore divini judicij committit.] Hucusque
 » Isidorus.

August.
 epist. 50.

» Augustinus ad Bonifacium: Ut, inquit, in
 » Ecclesia sanciretur ne quisquam post alicujus
 » criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel
 » ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat,
 » non desperatione indulgentiæ, sed rigore sa-
 » ctum disciplinæ. Alioquin contra claves Ec-
 » clesiæ datas disputaretur, de quibus dictum
 » *est: Quæ solveritis super terram, erunt soluta*
 » *& in celo.* Sed ne forsitan de criminibus spe-
 » honoris ecclesiastici intumescens animus su-
 » perbè ageret pœnitentiam, severissimè placuit
 » ut post actam de crimine damnabili pœniten-
 » tiam nemo sit Clericus, ut desperatione tem-
 » poralis altitudinis, medicina verior & major
 » esset humilitatis. Nam & David de criminibus
 » mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in ho-

Matth. 16.

nore suo permansit. Sed non ideo supervacua
putanda est posterior diligentia; qui ubi saluti
nihil detrahebatur, humilitati aliquid addide-
runt, quò salus tutiùs muniretur, experti,
credo, aliquorum fictas pœnitentias per affe-
ctatas honorum potentias. Cogunt enim in-
venire multas medicinas multorum experi-
menta morborum.

In Concilio Ilerdensi cap. v. De his qui al-
tario deserviunt, si subito flenda carnis fragili-
tate corruerint, & Domino respiciente dignè
pœnituerint, ita ut mortificato corpore cordis
contriti sacrificium Deo offerant, maneat in
potestate Episcopi vel veraciter afflictos non
diù suspendere vel desidiosos prolixiori tem-
pore ab Ecclesiæ corpore segregare; ita tamen
ut si officiorum suorum loca retineant, non
possint ad altiora officia ulteriùs promoveri.
Quòd si iterato velut canes ad vomitum rever-
si fuerint, non solùm dignitate officij careant,
sed etiam sanctam communionem non nisi in
exitu percipiant.

Pœnit.
Rhab.
ibid.

Item in Concilio Carthaginensi cap. xxvii.
scriptum est quòd Presbyteri & Diaconi in
graviore culpa convicti, manus impositionem
tanquam laici nequaquam suscipiant: Confir-
matum est ut si quando Presbyter vel Diaco-
nus in aliqua graviore culpa convicti fuerint,
ob quam eos à ministerio necesse est remove-
ri, non eis manus tanquam pœnitentibus im-
ponatur, vel tanquam fidelibus laicis; neque
permittendum esse ut rebaptizati ad clericatus
gradum promoveantur.

Pœnit. Rhab.
ibid.

De Presbyteris qui uxores acceperunt vel fornicati sunt.

C A P. X I.

Regino lib.
1. c. 84.

Item de Presbyteris qui uxores acceperint, vel fornicati sunt, in Concilio Neocæsareensi cap. v. scriptum est: Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur; si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

Regino lib.
1. c. 88.

Item ex decretis Innocentij Papæ cap. xxvi. Propterea, quod dignum & pudicum & honestum est, tenere omnino Ecclesia debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

Decreta Innoc. I. c. 21.

Nam priscis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant. Quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere. Quanto magis hi Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies quo vel à sacrificiis divinis vel baptismatis officio vacent. Nam si Paulus ad Corinthios scribens ait, *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*, & hoc utique laicis præcepit, multò magis sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi jugiter

officium est, semper debent ab hujusmodi
 confortio abstinere. Qui si contaminatus fue-
 rit carnali concupiscentia, quo pudore vel sa-
 crificare forsitan usurpabit; aut qua conscien-
 tia quove merito exaudiri se credit, cum di-
 ctum sit: *Omnia munda mundis; coinquinatis*
autem & infidelibus nihil est mundum.

Tir. 1.

Item in decretis Leonis Papæ cap. xvii.
 scriptum: Lex continentia eadem est altaris
 ministris quæ Episcopis atque Presbyteris:
 qui cum essent laici sive lectores, licite & uxo-
 res ducere & filios procreare potuerunt. Sed
 cum pervenerunt ad prædictos gradus, cœpit
 eis non licere quod licuit. Unde ut de carnali
 fiat spiritale conjugium, oportet eos nec di-
 mittere uxores, & quasi non habeant, sic ha-
 bere; quò & salva sit caritas connubiorum, &
 cesset operatio nuptiarum.

Regino lib.
 1. c. 96.

Item in Carthaginensi Concilio cap. xxv.
 Aurelius Episcopus dixit. Addimus, fratres
 carissimi, præterea cum de quorundam Cle-
 ricorum, quamvis Lectorum, erga uxores
 proprias incontinentia referretur, placuit,
 quod & diversis Conciliis confirmatum est, ut
 Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant,
 & Diaconi, & Presbyteri, sed & Episcopi, se-
 cundum priorum statuta, etiam ab uxoribus
 se abstineant, ut tanquam non habentes esse
 videantur. Quòd si non fecerint, ab ecclesia
 removeantur officio. Ceteros autem
 Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate.

Regino lib.
 1. c. 92.

* *
 *

De his qui pœnitentiam violantes rursus prævaricantur.

C A P. XII.

Concil. Au-
rel. 1. c. xi.
Pœnit.
Rhab.
c. 37.

In Concilio Aureliano cap. VII. scriptum
» est de his qui pœnitentiam violant: Hi verò
» qui susceptam pœnitentiam religionemque
» suæ professionis oblitæ, ad secularia relabun-
» tur, placuit eos à communione suspendi & ab
» omnium catholicorum conviviiis separari.
» Quòd si post interdictum cum eo quisquam
» præsumpserit manducare, & ipse communio-
» ne privetur.

Pœnit.
Rhab.
ibid.

In Concilio Toletano cap. LV. Quicumque
» ex secularibus accipientes pœnitentiam se to-
» tonderunt, & rursus prævaricantes laici effe-
» cti sunt, comprehensi ab Episcopo suo, ad
» pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur.
» Quòd si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles
» sunt, nec admoniti revertuntur, postea coram
» Ecclesia anathemate condemnentur; non ali-
» ter quàm hi qui detonsi à parentibus fuerunt,
» aut sponte sua, amissis parentibus, seipso re-
» ligioni devoverunt, & postea secularem habi-
» tum sumpserunt, iidem à sacerdote deprehen-
» si, ad cultum religionis, acta prius pœniten-
» tia, revocentur. Quòd si reverti non possunt,
» apostatæ anathematis sententiæ subjiciantur.
» Quæ forma servabitur etiam in viduis virgini-
» búsque sacris ac pœnitentibus feminis quæ
» sanctimoniam habitum induerunt, & postea
» aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias tran-
» siverunt.

Ex decretis Siricij Papæ cap. x. De his verò
 non incongruè dilectio tua apostolicam sedem
 credidit consulendam qui, acta pœnitentia,
 tanquam canes ac fues ad vomitus pristinos
 & volutabra redeunt, & militiæ cingulum
 & lubricas voluptates & nova conjugia & in-
 hibitos denuo appetivere concubitus; quorum
 professam incontinentiam generati post abso-
 lutionem filij prodidere. De quibus etiam,
 quia suffugium non habent pœnitendi, id du-
 ximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam
 fidelibus oratione jungantur, sacra mysterio-
 rum celebritati, quamvis non mereantur, in-
 terfint, à dominicæ autem mensæ convivio se-
 gregentur; ut hac saltem distinctione correpti,
 & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exem-
 plum tribuant quatenus ab obscœnis cupidita-
 tibus retrahantur. Quibus tamen, quia carna-
 li fragilitate cecidere, viatico munere, cum
 ad Deum cœperint proficisci, per communio-
 nis gratiam volumus subveniri. Quam for-
 mam & circa mulieres, quæ se post pœniten-
 tiam talibus pollutionibus devinxerunt, ser-
 vandam esse censemus.

Item in Concilio Arelatensi cap. II. Pœni-
 tentes quæ defuncto viro aliis nubere præsum-
 pserunt, vel suspecta vel interdicta familiari-
 tate cum extraneo vixerunt, cum eodem ab
 Ecclesiæ limine arceantur. Hæc etiam de viro
 in pœnitentia posito placuit observari,

Quòd pœnitentibus in cœna Domini sit remittendum.

C A P. XIII.

Pœnit. Rhab.
c. 35.

Item ex decretis Innocentij Papæ cap. vii.
 » scriptum est : De pœnitentibus autem , qui si-
 » ve ex gravioribus commissis , sive ex leviori-
 » bus pœnitentiam gerunt , si nulla intervenit
 » ægritudo , quinta feria ante Pascha eis remit-
 » tendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo de-
 » monstrat. Ceterùm de pondere æstimando de-
 » lictorum , sacerdotis est judicare , ut attendat
 » ad confessionem pœnitentis , & ad fletus atque
 » lacrymas corrigentis , ac tunc jubere dimitti
 » cùm viderit satis congruam satisfactionem. Si
 » quis autem in ægritudinem incidit , atque us-
 » que ad desperationem venerit , ei est ante tem-
 » pus Paschæ relaxandum , ne de seculo absque
 » communionem discedat.

Quòd nulli ultima pœnitentia sit deneganda.

C A P. XIV.

Pœnit. Rhab.
c. 38.

In decretis Celestini Papæ cap. xv. scrip-
 » tum est quòd nulli ultima pœnitentia sit dene-
 » ganda. Agnovimus enim pœnitentiam mo-
 » rientibus denegari , nec illorum desiderijs an-
 » nui qui obitus sui tempore animæ suæ cupiunt
 » subveniri. Horremus , fateor , tantæ impieta-
 » tis aliquem reperiri ut de Dei pietate desperet,
 » quasi non possit ad se quovis tempore conver-
 » tenti succurrere , ac periclitantem sub onere
 » peccatorum hominem pondere , quo se ille ex-
 » pedire

pedire desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est quàm morienti mortem addere, atque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere, cùm Deus, ad subveniendum paratissimus, invitans ad pœnitentiam, sic promittat: *Peccator in quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei.* Et iterum: *Nolo mortem peccatoris, sed tantùm ut convertatur, & vivat.* Salutem ergo homini adimit quisquis mortis tempore pœnitentiam denegaverit. Et desperavit de clementia Dei qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Cùm esset in pœna, pœnituit, & per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potiùs æstimanda est quàm tempore, Propheta taliter hoc asserente: *Cùm conversus ingemueris, salvus eris.* Cùm ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cùm se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

Ezech. 18.

Regino lib.
I. c. 110.

Vt qui pro illicitis veniam petit, etiam à multis licitis se absteat; nec tempore pœnitentis lucra negotiationis exerceat.

C A P. X V.

In decretis Leonis Papæ cap. XXI I. scrip- Pœnit. Rhab.
tum est quòd oporteat eum qui pro illicitis ve- c. 39.

niam pascit, etiam à multis licitis abstinere,
 » Aliud quidem est iusta debita reposcere, aliud
 » propria perfectionis amore contemnere. Sed
 » illicitorum veniam postulantem oportet etiam
 1. Cor. 6. » à licitis abstinere, dicente Apostolo: *Omnia*
 » *quidem licent; sed non omnia expediunt.* Unde
 » si pœnitentes habent causam quam negligere
 » fortè non debeant, meliùs expedit ecclesiasti-
 » cum quàm forensè iudicium.

Pœnit. Rhab.
 ibid.

Regino lib.
 1. c. 313.

Item in eisdem decretis cap. XXI I. scrip-
 tum est quòd pœnitenti nulla lucra exercere
 » conveniat negotiationis: Qualitas lucri nego-
 » tiantem aut excusat aut arguit, quia est hone-
 » stus quæstus & turpis. Veruntamen pœniten-
 » ti utilius est dispendia pati quàm periculis ne-
 » gotiationis obstringi. Quia difficile est inter-
 » ementis & vendentis commercium non inter-
 » venire peccatum.

» Isidorus in libro officiorum: Hi qui pœni-
 » tentiam gerunt, capillos & barbam nutriant,
 » ut demonstrent abundantiam criminum qui-
 » bus caput peccatoris gravatur. Capilli enim
 » pro vitiis accipiuntur, sicut scriptum est: *Et*
 » *crinibus peccatorum suorum unusquisque con-*
 » *stringitur.*

Ne quis post pœnitentiam redeat ad militiam.

C A P. X V I.

Pœnit. Rhab.
 c. 40.

Item in eisdem decretis cap. XXIV. scrip-
 tum est quòd aliquis ad militiam secularem
 » post pœnitentiam redire non debeat: Contra-
 » rium est omnino ecclesiasticis regulis post pœ-
 » nitentiæ actionem redire ad militiam secula-

rem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans* « 2. Tim. 2: »
Deo applicat sese secularibus negotiis. Unde «
 non est liber à laqueis diaboli qui se militia «
 mundana vult implicare. «

*Quòd quibusdam pœnitentibus pristina conce-
 dantur conjugia.*

CAP. XVII.

In Concilio Toletano scriptum est quòd Concil. Tolet. 6. c. 8.
 quibusdam pœnitentibus pristina reddantur «
 conjugia: Antiqui & sanctissimi est patris «
 sententia Papæ Leonis ut is qui in ætate «
 adolescentiæ positus, dum mortis formidat ca- «
 sum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium, si «
 est jugatus, & fortè fuerit incontinens, ne po- «
 stea adulterij incurrat lapsum, redeat ad pristi- «
 num conjugium, quousque possit adipisci, «
 temporis maturitate, statum continentia. «
 Quod nos de feminis judicamus, similiter de «
 viris censemus, non quidem generaliter & le- «
 gitimè præceptum; sed constat à nobis pro «
 humana fragilitate indultum, ea duntaxat ra- «
 tione ut si is qui pœnitentiæ legibus non est «
 deditus, antea ab hac vita discesserit quàm ex «
 consensu ad continentiam veniant, superstiti «
 non liceat denuo ad uxoris transire amplexus; «
 si autem illius vitæ extiterit superstes qui non «
 accepit pœnitentis benedictionem, nubat, si «
 continere non potest, & alterius uxoris con- «
 sortio fruatur. Quod de utroque sexu parimo- «
 do à nobis manifestum est decerni; ita videli- «
 cet ut in his omnibus sacerdotis ordinatio ex- «
 pectetur, ut juxta quod ætatem aptam perspe- «

500 RHABANI EPISTOLA
» xerit continentiae, absolutionis vel districtio-
» nis tribuat legem.

De perjurio.

C A P. XVIII.

Perjurium in lege divina omnino prohibetur, dicente legislatore: *Non assumas nomen Domini Dei tui in vanum. Non enim infontem habebit eum Dominus qui assumpserit nomen Dei sui frustra.* Unde ipsa veritas dicit in evangelio: *Nolite jurare omnino, neque per caelum, neque per terram, &c.* Hinc & in ca-

Regino lib. 2. c. 324. none scriptum est: *Quicumque verò sciens se perjuraverit, annos septem se poenitentia subdat, & ita deinceps ad communionem revertatur.*

Item Ecbertus Anglorum Episcopus diffinit ita dicens: Qui juramentum in Ecclesia fecerit, aut in evangelio, sive in reliquiis sanctorum, septem annos. Alij judicant undecim.

Regino lib. 2. c. 331. & seq. » Si verò in manu Episcopi aut Presbyteri vel Diaconi, seu in cruce posita consecrata, unum annum poeniteat. Alij septem annos judicant. » Et in cruce non consecrata, unum annum poeniteat; vel septem menses, ut alij judicant. » Qui autem seductus ignorans, & postea cognoscit, unum annum vel tres quadragesimas

Regino lib. 2. c. 332. » poeniteat. Si quis coactus, pro qualibet necessitate, tres quadragesimas. Alij annos tres; » unum ex his in pane & aqua, ut alij judicant.

Regino lib. 2. c. 326. » Item perjurium, tres annos poeniteat. Qui suspicatur quòd perjurus in juramentum ducitur, » sed tamen per consensum jurat, duos annos poeniteat.

De Episcopis, sive Presbyteris, qui per pretium gradum & Ecclesiam acquisierunt.

CAP. XIX.

Sed quia in multis locis ab his qui per avaritiam terrenæ possessionis & ecclesiastici ordinis pretium dant ut terrenarum rerum sibi abundantiam inde acquirant, sæpe perjurium fit illis qui hoc scandalo decipiuntur, justum est ut illis qui hoc faciunt condicta vindicta retribuatur. Nam de talibus ita statutum est in canonibus.

In synodo Remensi cap. xx i. scriptum est: *Quicumque Presbyter per pretium gradum acquisierit, deponatur.* Ex Concilio Aurelianensi cap. x. *Vt nullus Presbyter ad introitum Ecclesie xenia det.* In Concilio Turonensi sive Mouguntinensi cap. xv. scriptum est: *Quicumque Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus, omni modo deponatur; quoniam & ille contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur. Item & ille deponatur qui alium Presbyterum legitimè ad Ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi totaliter vendicaverit. quod vitium latè diffusum, summo studio emendandum est. Itè que interdicendum videtur Clericis, sive laicis, ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia & consensu Episcopi.*

Conc. Tur.
3. c. 15.
Conc. Mougunt. sub
Rhab c.
12.
Regino lib.
1. c. 138.
Vide Capitulare
Theodulfi
c. 16.

* * *

*De incestis conjunctionibus, & de eo qui filiolarum
suam vel matrem duxerit uxorem.*

C A P. X X.

- Pœnit. Rhab. De incestis autem conjunctionibus in Con-
cilio Agathensi cap. LXI. ita scriptum est:
C. 2.
- Regino lib. » Incestis conjugis nihil prorsus veniæ reserva-
2. c. 185. » mus, nisi cum adulterium separatione sanave-
» rint. Incestos verò nullo conjugij nomine cen-
» sendos, quos etiam designare funestum est,
» hos esse censemus. Si quis relictam fratris,
» quæ penè priùs soror extiterat, carnali conjun-
» ctione violaverit. Si quis fratris germanam
» uxorem acceperit, si quis novercam duxerit,
» si quis consobrinæ se suæ sociaverit. Quod ita
» præsentis tempore prohibemus, ut ea quæ sunt
» ante nos constituta non dissolvamus. Si quis
» relictæ vel filiæ avunculi miscetur, aut patris
» filiæ vel privignæ suæ concubitu polluitur.
» Sanè quibus conjunctio illicita interdicitur,
» habebunt ineundi melioris conjugij liberta-
» tem.
- Pœnit. Rhab. Item de iisdem in Concilij Aurelianensis
ibid. cap. xiv. scriptum est: Ne frater super to-
Regino lib. rum defuncti fratris ascendat, ne quisquam,
2. c. 191. » amissa uxore, forori audeat se sociare. Quod si
» fecerit, ab ecclesiastica districtione feriat.
- Pœnit. Rhab. Item de iisdem in Concilio Ilerdensi cap.
ibid. » iv. Qui se incesti pollutione commaculant,
» placuit, quousque in ipso detestando & illicito
» carnis contubernio perseverant, usque ad
» Missam tantum catechumenorum in Ecclesia
» permittantur; cum quibus etiam nec cibum

sumere ulli Christianorum, sicut Apostolus
 jussit, oportet.

Item de his in Ancyrano Concilio cap. xxiv. Pœnit. Rhab. ibid. Regino ibid. c. 192.
 Quidam sponsam habens, sororem ejus vio-
 lavit, & gravidam reddidit; postmodum des-
 ponsatam sibi duxit uxorem. Illa verò quæ
 corrupta est, laqueo se peremit. Omnes qui
 ejusmodi fuerunt conscij, decem annos in pœ-
 nitentiam redigantur secundum canones con-
 stitutos.

In decretis Siricij Papæ c. i v. Omnimodis
 prohibemus ne quis sponsam alterius ducat
 uxorem: quia illa benedictio quam nupturæ
 sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacri-
 legij instar est si ulla transgressione violetur.

Desponsatas puellas, & post ab aliis raptas,
 placuit erui, & eis reddi quibus antè fuerant
 desponsatæ, etiam si eis à raptoribus vis illa
 constiterit.

De his quæ duobus fratribus nupserint, vel
 qui duas sorores uxores acceperint, in Neocæ-
 sarensis Concilij cap. I I. ita dictum est: Mu-
 lier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur us-
 que ad mortem. Veruntamen in exitu propter
 misericordiam, si promiserit quòd facta inco-
 lumis, hujus conjunctionis vincula dissolvat,
 fructum pœnitentiæ consequatur. Quòd si de-
 fecerit vir aut mulier in talibus nuptiis, diffi-
 lis erit pœnitentia in vita permanenti.

Item de his qui duabus sororibus copulan-
 tur in Elibertino Concilio cap. L X I. ita scrip-
 tum est: Si quis post obitum uxoris suæ foro-
 rem ejus duxerit uxorem, & ipsa fuerit fidelis,
 quinquennium à communione placuit absti-

» nere, nisi fortè velociùs dari pacem necessitas
» coëgerit infirmitatis.

Pœnit. Rhab.
ibid.

Collectio
Martini
Bracar. c.
79.

Item de muliere quæ duos fratres sumit in
conjugio in canonibus Martini Episcopi sic
» scriptum est: Si qua mulier duos fratres, aut
» si quis duas sorores duxerit, à communione ab-
» jiciantur usque ad mortem. In morte eis com-
» munitio propter misericordiam detur. Si verò
» supervixerint cõmunionem accepta, & dein-
» firmitate convaluerint, agant plenam pœni-
» tentiam tempore constituto.

Canon. A-
postolor. c.
19.

Pœnit. Rhab.
ibid.

Regino lib. 1.
c. 196.

» Qui duas in conjugium sorores acceperit,
» vel filiam fratris, Clericus esse non poterit.

De eo verò quod interrogasti, si ille qui fi-
liolam suam, quam de sacro fonte baptisma-
tis suscepit, & de eo qui concubuit cum com-
matre sua spiritali, & de illo qui filium suum
baptizavit, & cujus uxor eum de fonte susce-
pit, si postea in tali copulatione permanere
possent, omnino illicitum esse judicamus.
Nam in Concilio Mogontensi cap. LV. de ta-
» libus scriptum est: Nullus proprium filium aut
» filiam à fonte baptismatis suscipiat, nec filio-
» lam nec commatrem suam suscipiat uxorem,
» nec illam cujus filium aut filiam ad confirma-
» tionem duxerit. Ubi autem factum fuerit, se-
» parentur.

Regino lib.
2. c. 197.

» Item in synodo Mogontensi cap. LVI. Si
» quisquam viduam uxorem duxerit, & postea
» cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus
» sororibus nupsierit, aut si qua duobus fratribus
» nupsierit, seu cum patre & filio, tales copula-
» tiones anathematizari & disjungi præcipimus,
» nec unquam ampliùs conjugio copulari, sed

sub magna districtione fieri.

Quam detestabile & quam execrabile scelus sit unicuique Christiano filiolum suam sibi ad libidinem jungi testatur sanctus Gregorius Papa in dialogis suis; ubi refert quendam hominem constuprasse filiolum suam, & tribus diebus reservatum esse ad satisfactionem pœnitendi. Sed ille miser, sperans peccatum suum aut latere Deum aut oblivioni misericorditer datum, neglexit pœnitentiam agere. Sed non longè post miserabili morte correptus expiravit, ita ut sepulchrum ejus igne consumeretur. In hoc opere apparuit ineffabilis Dei clementia, quæ ipsum hominem reservare voluit ad indulgentiam, si ille non tardaret converti.

Regino lib. 2.
c. 198.

Item in synodo Mogontiensi de incestis conjugis scriptum est: Si quis fornicatus fuerit cum duabus sororibus, vel cum noverca sua, vel cum sorore sua, vel cum amita sua, vel cum commatre sua, vel cum filiola sua, quam de fonte baptismatis suscepit, vel ante Episcopum ad confirmationem tenuit, vel si qua mulier simili modo fornicata fuerit, abstineat se ab ingressione domus Dei uno anno; & eodem anno, nisi festis diebus & præcipuis, solummodo pane & aqua & sale utatur, arma pugnatoria non ferat, osculum nulli præbeat, sacrificium, nisi pro viatico, minimè sumat; sex deinde annis ingrediatur domum Dei; sed carnibus & vino ac sicera minimè utatur, nisi festis præcipuisque diebus. De armis verò vel osculo sive sacrificio sicut supra dictum est faciat. Postea verò duobus annis, quando

Regino lib.
2. c. 199.

» carne vescitur , à potu omni qui potest ine-
 » briare se contineat. Quem potum si biberit,
 » non carne vescatur absque præcipuis festis
 » diebus. De armis vel osculo & sacrificio mo-
 » dum teneat jamdictum. Inde usque ad obitum
 » suum , nisi prædictis festis diebus , à carne ab-
 » stineat tres legitimas ferias in omni hebdoma-
 » da, & tres quadregesimas in anno legitimè cu-
 » stodiat. De armis verò sicut jam dictum est fa-
 » ciat, & nunquam conjugio copuletur. Hæc
 » eadem pœnitentia imponenda est parricidis,
 » vel fratricidis, vel consanguineis, necnon &
 » his qui sponte per fraudem & avaritiam ho-
 » minem innoxium occidunt. quod Theodisca
 » lingua morchidum dicitur.

De his qui adulterium committunt .

C A P. XXI.

Pœnit. Rhab.
c. 3.

Adulterium autem non solum lex damnat,
 sed etiam evangelica auctoritas omnino fieri
 vetat. Unde & sancti patres, magisterio cœle-
 sti imbuti, de hoc quid servandum sit sanxe-
 runt. Nam in Concilio Ancyrano cap. xvii.

Reginolib.
2. c. 99.

» scriptum est : Si cujus uxor adulterata fuerit,
 » vel si ipse adulterium commiserit, septem an-
 » nis in pœnitentia completis, oportet eos per-
 » fectionem secundum pristinos gradus con-
 » sequi.

Pœnit. Rhab.
ibid.

Item in Africano Concilio cap. lxi. de
 his qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut

Reginolib.
2. c. 104.

» maneat sic, ita scriptum est : Placuit ut se-
 » cundum evangelicam & apostolicam discipli-
 » nam, ut neque dimissus ab uxore, nec dimissa

à marito, alteri jungantur, sed ita maneat, «
aut sibi met reconcilientur. Quòd si contemp- «
ferint, ad pœnitentiam redigantur. «

Item in decretis Innocentij Papæ cap. xxiv. Pœnit. Rhab. ibid.
scriptum est quòd viri cum adulteris feminis «
non conveniant : Et illud desiderandum est « Regino lib. 2. c. 139.
sciri cur communicantes viri cum adulteris «
uxoribus non conveniant, cùm contrà uxores «
in consortio adulterorum virorum manere vi- «
deantur. Super hoc Christiana religio adulte- «
rium in utroque sexu pari ratione condemnat. «
Sed viros suos mulieres non facilè de adulterio «
accusant. Non enim habent latentia peccata «
vindictam. Viri autem liberius uxores adulte- «
ras apud sacerdotes deferre consueverunt. Et «
ideo mulieribus, prodito earum crimine, com- «
munio denegatur. Virorum autem latente «
commisso, non facilè aliquis ex suspicionibus «
abstinetur. Qui utique submovebitur, si ejus «
flagitium detegatur. Cùm ergo par causa sit, «
interdum, probatione cessante, vindictæ ra- «
tio conquiescit. «

Item in ejusdem Papæ decretis cap. xxvii. Pœnit. Rhab. c. 3. Regino lib. 2. c. 101.
scriptum est : De his etiam requisivit dilectio «
tua qui interveniente repudio, alij se matrimo- «
nio copularunt : quos in utraque parte adulte- «
ros esse manifestum est. Qui verò vel uxore «
vivente, quamvis dissociatum videatur esse «
conjugium, ad aliam copulam festinarunt, ne- «
que possunt adulteri non videri, in tantum ut «
etiam hæ personæ quibus tales conjuncti sunt, «
etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, «
secundùm illud quod legimus in evangelio : «
Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, «

» *mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.*
 » Et ideo omnes à communione abstinendos.
 » De parentibus autem & propinquis eorum ni-
 » hil tale statui potest, nisi si incentores illiciti
 » confortij fuisse detegantur.

Pœnit. Rhab.
c. 3.

Regino lib.
2. c. 103.

In Concilio quoque Elibertino cap. ix. de
 feminis quæ adulteros maritos reliquerunt,
 » & aliis nubunt, scriptum est: Femina fidelis
 » quæ adulterum maritum reliquerit fidelem,
 » & alij nubit, prohibeatur ne ducat. Si duxe-
 » rit, non prius accipiat communionem, nisi
 » quem reliquit, de seculo exierit; nisi fortè ne-
 » cessitas infirmitatis dare compulerit.

De his qui mœchantur.

C A P. XXII.

Pœnit. Rhab.
c. 4.

Item in Concilio Elibertino cap. xxx. de
 » mœchis scriptum est: Subdiaconos eos ordi-
 » nari non debere qui in adolescentia sua fuerint
 » mœchati, eò quòd postmodum per surreptio-
 » nem ad ulteriorem gradum forsitan promove-
 » bantur. Qui autem sunt in tempore præterito
 » ordinati, amoveantur.

Pœnit. Rhab.
ibid.

Item in eodem Concilio cap. xxxi. de ado-
 » lescentibus qui post lavacrum mœchantur
 » scriptum est: Adolescentes qui post fidem la-
 » vacri salutaris fuerint mœchati, cum duxerint
 » uxores, acta legitima pœnitentia, placuit ad
 » communionem eos admitti.

Pœnit. Rhab.
ibid.

Regino lib.
2. c. 137.

Item in eodem Concilio cap. xlvii. de eo
 qui uxorem habens, sæpius mœchatur, scrip-
 » tum est: Si quis fidelis habens uxorem, non
 » semel, sed sæpe, fuerit mœchatus, in sine

mortis est conveniendus. Quòd si se promissurum cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus, rursus mœchatur, placuit ulterius non ludere eum de communione pacis.

De virginibus sacratis sive secularibus, si mœchaverint.

C A P. X X I I I.

Item in Concilio eodem cap. x i i i. de virginibus sacratis scriptum est, si mœchaverint: Virgines quæ se Deo dicaverint, si pactum perdidierunt virginitatis, atque eidem libidini inservierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in finem eis dandam esse communionem. Quòd si semel persuasæ ad infirmi corporis vitia lapsæ, tempore vitæ suæ hujusmodi feminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se à coitu, placuit eas in finem communionem accipere debere.

Pœnit. Rhab. c. 4.

Item in eodem de virginibus secularibus, si mœchata fuerint: Virgines quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem qui eas violaverunt duxerint & tenuerint maritos, eò quòd solas nuptias violaverunt, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt. Vel si alios cognoverint viros, eò quòd mœchata sint, placuit post quinquennij tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem.

Pœnit. Rhab. ibid. Regino lib. 2. c. 151.

Item in Concilio Ancyrano cap. i x. de his quæ virginitatem professæ sunt, & de his quæ sub sororis habitu cum aliquibus commorantur, scriptum est: Quotquot virginitatem pro-

Pœnit. Rhab. ibid. Concil. An. Cyr. c. 18.

» mittentes , irritam faciunt sponſionem , inter
 » bigamos computentur. Virgines autem quæ
 » tanquam ſorores cum viris habitare volunt,
 » ab eorum conſortio prohibemus.

*De his qui ſe ſacris virginibus ſociant ; & de
 virginibus non velatis , ſi mœchaverint.*

CAP. XXIV.

Pœnit. Rhab.
c. 5.

In decretis Gelafij Papæ cap. xx. de his
 qui ſe ſacris virginibus ſociant ſcriptum eſt:
 » Virginibus ſacris temerè ſe quosdam ſociare
 » cognovimus, & poſt dicatum Deo propoſitum
 » inceſta fœdera ſacrilegæque miſcere : quos
 » protinus æquum eſt à ſacra communione de-
 » trudi , & niſi per publicam probatamque pœ-
 » nitentiam omnino non recipi. At his viaticum
 » certè de ſeculo tranſeuntibus , ſi tamen pœni-
 » tuerint , non negetur.

Pœnit. Rhab.
ibid.

Item in decretis Innocentij Papæ cap. xx.
 de virginibus non velatis , ſi deviaverint , ſcri-
 » ptum eſt : Hæ verò quæ necdum ſacro vela-
 » mine teſtæ , tamen in propoſito virginali ſem-
 » per ſe ſimulaverunt permanere , licèt velatæ
 » non ſint , ſi fortè nupſerint , his agenda ali-
 » quanto tempore pœnitentia eſt : quia ſponſio
 » earum à Domino tenebatur. Nam ſi inter ho-
 » mines ſolet bonæ fidei conſtractus nulla ratio-
 » ne diſſolvi , quanto magis iſta pollicitatio,
 » quam cum Deo pepigit , quomodo ſolvi ſine
 » vindicta poterit. Nam ſi Apoſtolus illas quæ à
 » propoſito viduitatis diſceſſerunt dixerat habe-
 » re damnationem , quia primam fidem irritam
 » fecerunt , quanto potiùs virgines quæ prioris

promissionis fidem frangere sunt conatae? "

De his quæ inter se fornicantur; & de his quæ semen virorum suorum, pro libidine, cibo vel potui miscent.

CAP. XXV.

De feminis quæ inter se fornicantur in An- Regino lib. 2.
cyrano Concilio scriptum est: Si mulier cum c. 363.
muliere fornicata fuerit, annos tres pœniteat. " Ivo parte
Item: Si mulier more fornicationis ad alteram c. 9. c. 87.
conjunxerit, tres annos sicut fornicator pœni-
teat. Sic & illa quæ semen viri sui in cibo mis-
cens, ut inde plus ejus amorem accipiat, pœ-
niteat. Mulier sola, si cum seipsa coitum ha-
beat, tres annos pœniteat. "

De his qui se gentilibus vel Judæis junxerunt.

CAP. XXVI.

Item de his quæ se gentilibus vel Judæis
junxerunt in Concilio Arelatensi scriptum est:
Puellæ fideles, quæ gentilibus junguntur, pla-
cuit ut aliquanto tempore à communione se-
parentur. "

Item in Concilio Elibertino cap. LXXVIII.
de fidelibus conjugatis, si cum Judæa vel gen- Regino lib.
tili mœchaverint, scriptum: Si quis fidelis ha- c. 2. c. 141.
bens uxorem cum Judæa vel gentili fuerit
mœchatus, à communione arceatur. Quod si
alius eum duxerit, post quinquennium, acta
legitima pœnitentia, poterit dominicæ com-
munioni sociari. "

De his qui cum Iudæis vescuntur.

C A P. XXVII.

Pœnit. Rhab.
c. 26. Item in Concilio Elibertino de Christianis
” qui cum Iudæis vescuntur scriptum est : Si ve-
” rò quis Clericus vel fidelis cum Iudæis cibum
” sumpserit , placuit eum à communione absti-
” neri , ut debeat emundari.

Pœnit. Rhab.
ibid. Item in Concilio Toletano cap. x i v. scrip-
” tum de Iudæis : Suggestente Concilio id glo-
” riosissimus Dominus noster canonibus inferi
” præcepit, ut Iudæis non liceat Christianas ha-
” bere uxores vel concubinas, neque mancipium
” Christianum in usus proprios comparare ; sed
” filios qui ex tali conjugio nati sunt assumendos
” esse ad baptismum. Nulla officia publica eos
” opus est agere per quæ eis occasio præbeatur
” pœnam Christianis inferre. Si qui verò Chri-
” stiani ab eis Iudaismi ritu maculati sunt , vel
” etiam circumcisi, non reddito pretio, ad liber-
” tatem & religionem redeant Christianam.

De his qui uxorem simul & concubinam habent.

C A P. XXVIII.

Pœnit. Rhab.
c. 10. Item de his qui uxorem habent , si concubi-
” nam habuerint , in Concilio Toletano cap.
” x v i i. scriptum est : Si quis habens uxorem
” fidelis , si concubinam habeat , non communi-
” cet. Ceterùm is qui non habet uxorem , & pro
” uxore concubinam habet, à communione non
” repellatur. tantùm ut unius mulieris, aut ux-
” ris,

ris, aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjun-
ctio contentus. Aliàs verò vivens abjicia-
tur donec desinat & ad pœnitentiam rever-
tatur.

De conjugatis qui nubere non possunt.

C A P. X X I X.

Quòd autem interrogasti de his qui matri-
monio conjuncti sunt & nubere non possunt, Regino lib. 2.
c. 242. si ille aliam vel illa alium ducere possit, non
cum auctoritate, sed de quorundam statutis
respondemus, in quibus scriptum est: Vir &
mulier si se junxerint matrimonio, & po-
stea dixerit mulier de viro quòd non possit ei
nubere, si potest probare per justum judicium
quòd verum sit, accipiat alium.

*De his quæ menstruum sanguinem aliis in cibo
vel potu dant. & de his qui magicam artem
divinatione & augurio observant.*

C A P. X X X.

De his etiam super quibus interrogasti, id
est, de illa femina quæ menstruum sanguinem
suum miscuit cibo vel potui, & dedit viro suo
ut comederet, & de illa quæ semen viri sui in
potu bibit, & de ea quæ testam hominis com-
bussit igni, & viro suo dedit pro infirmitate vi-
tanda, quali pœnitentia sint plectendæ; ut no-
bis videtur, tali sententia feriendi sunt sicut
magi & arioli, qui magicam artem exercuisse
noscuntur. Nam de his qui magicam artem Regino lib. 2.
c. 360. 361.

exercent, & auguria attendunt, & divinationes observant, Theodori Archiepiscopi gentis Anglorum constitutiones habemus, in quibus scriptum est: Qui immolat dæmoniis in minimis, unum annum pœniteat. Qui verò in magnis, decem annos pœniteat. Mulier si qua ponit filiam suam supra tectum vel in fornacem pro sanitate febris, septem annos pœniteat. Qui ardere facit grana ubi mortuus est homo pro sanitate viventium & domus, quinque annos pœniteat. Si mulier incantationes vel divinationes fecerit, unum annum vel tres quadragesimas vel quadraginta dies juxta qualitatem culpæ pœniteat.

Regino lib.
2. c. 357.

De hoc in Concilio Ancyrano cap. xxiiij. dicitur: Qui auguria, auspicia, sive somnia, vel divinationes quaslibet secundum mores gentium observant, aut in domos suas hujusmodi homines inducunt in exquirendis aliqua arte maleficis, aut ut domos suas lustrent; hi, si de clero sunt, abjiciantur; si verò seculares, quinquennio pœniteant. Qui cibum immolatum comederit, & deinde confessus fuerit, sacerdos considerare debet personam, in qua aetate, vel quomodo edoctus, aut qualiter contigerit. Et ita auctoritas sacerdotalis circa infirmum moderetur, & in omni pœnitentia semper, & confessionem omnino, in quantum Deus adjuvare dignetur, cum omni diligentia conservetur.

§ † §

De sortilegis & auguribus..

CAP. XXXI.

Item in Concilio Agathensi de sortilegis vel augurium servantibus scriptum est: Ne de eo fortasse videatur omissum quod maximè fidem catholicæ religionis infestat, quòd aliquanti Clerici sive laici student auguriis, & sub nomine fictæ religionis, qua sanctorum sortes divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt. Hoc quicumque Clericus vel laicus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.

Pœnit.
Rhab.
c. 23.

De his qui fornicantur irrationabiliter.

CAP. XXXII.

Item in Concilio Ancyrano cap. xv. scriptum est de his qui irrationabiliter, id est, cum pecoribus & masculis fornicantur: De illis qui irrationabiliter versati sunt sive versantur, quotquot ante vigesimum ætatis annum tale crimen commiserint, xv. annos acta pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communionem durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem vita eorum, quales tempore pœnitentia extiterint; & ita misericordiam consequantur. Quòd si inexcusablem hæserint criminibus, ad agenda pœnitentiam prolixius tempus insumant.

Pœnit. Rhab.
c. 6.
Regino lib. 2.
c. 255.

» Quotquot autem post viginti annos ætatis,
 » uxores habentes, in hoc peccato prolapsi sunt,
 » viginti quinque annos pœnitentiam agentes,
 » ad orationis communionem recipiantur: in
 » qua quinquennio durantes, tunc oblationis
 » sacramenta percipiant. Quòd si & uxores ha-
 » bentes, & transcendentis quinquagesimum
 » ætatis annum, ita deliquerint, ad exitum vitæ
 » communionis gratiam consequantur.

Pœnit.:

Rhab.

ibid.

Regino ibid.

c. 256.

» Item in eodem Concilio cap. x v i. Eos qui
 » irrationabiliter vixerint, & lepra inusti crimi-
 » nis alios polluerint, præcepit sancta synodus
 » inter eos orare qui spiritu periclitantur im-
 » mundo.

De eucharistia.

C A P. XXXIII.

Ista sententia
 contraria est
 sententiis Cle-
 mentis Papæ
 & aliorum mul-
 torum sancto-
 rum parum,
 qui dicunt
 corpus Domi-
 ni non cum
 ceteris com-
 mibus cibis
 per aqualicu-
 los in secessum
 mitti.

Quòd autem interrogastis utrum euchi-
 stia, postquam consumitur, & in secessum
 emittitur more aliorum ciborum, iterum re-
 deat in naturam pristinam quam habuerat an-
 tequam in altari consecraretur; superflua est
 hujusmodi quæstio, cum ipse salvator dixerit
 in evangelio: *Omne quod intrat in os, in ven-
 trem vadit, & in secessum emittitur.* Sacra-
 mentum corporis & sanguinis id est ex rebus
 visibilibus & corporalibus conficitur; sed in-
 visibilem tam corporis quam animæ efficit
 sanctificationem. Quæ est enim ratio ut hoc
 quod stomacho digeritur, & in secessum emit-
 titur, iterum in statum pristinum redeat, cum
 nullus hoc unquam fieri asseruerit? Nam qui-

dam nuper de ipso sacramento corporis & sanguinis Domini non rite sentientes dixerunt hoc ipsum corpus & sanguinem Domini quod de Maria virgine natum est, & in quo ipse Dominus passus est in cruce, & resurrexit de sepulchro, [idem esse quod sumitur de altari.] Cui errori, quantum potuimus, ad Egilum Abbatem scribentes, de corpore ipso quid verè credendum sit aperuimus. Dicit enim de corpore & sanguine suo Dominus in evangelio: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Hanc ergo vitam non habet qui illum panem non manducat nec istum sanguinem bibit. Nam illam temporalem vitam sine illo homines utcunque in hoc seculo habere possunt qui non sunt per fidem in corpore ejus, æternam verò nunquam, quæ sanctis promittitur. Ne autem putarent sic in isto cibo & potu, quem carnaliter sumunt, & spiritaliter non intelligunt, in fide promitti vitam æternam ut qui * eam sumerent, nec anima nec corpore morerentur, huic cogitationi dignatus est occurrere. Nam cum dixisset, *Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, continuo subjecit & dixit: *Ego resuscitabo eum in novissimo die*, ut habeat interim secundum spiritum vitam æternam. In novissimo ergo die, quando anima incorruptum corpus suscipiet, tunc anima

& corpus cuiuscunque sancti in unum sociata habebunt vitam æternam, quia adunantur simul caput & membra. Et sic totum corpus Christi gaudebit in perpetuum. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Cùm enim cibo & potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit, id est, societas ipsa sanctorum, ubi pax erit & unitas plena atque perfecta.

De restitutione Ebonis Episcopi.

C A P. XXXIV.

De Ebonis autem Remensis Episcopi depositione atque restitutione non necesse esse æstimo tuæ interrogationi respondere. Videant illi qui hoc egerunt utrum justè an injustè hoc fecerint. Ego, dum in episcopatu Moguntiensis Ecclesiæ indignus constitutus sum, inveni eum in Hiltineshaim in Saxonia episcopalem sedem habere. Nec eum prohibui præfulis officium gerere, quia audiui ab apostolica sede in locum suum restitutum esse. sicque ad finem vitæ in suo officio remansit. Rogantibus autem quibusdam fratribus, Hincmaro Episcopo nuper pro hoc ipso epistolam direxi: quia audiui eum illos quos Ebo post restaurationem suam consecravit, à sacerdotali atque clericali officio removisse. Postquam autem mihi inde responsum opportunum redditum fuerit, tibi intimare curabo.

EPILOGUS.

Hæc igitur tibi , sancte frater , juxta postulacionem tuam ad interrogata , quantum ægritudo infirmi corporis mei sinebat , & commoditas temporis permisit , juxta sanctorum canonum instituta & sanctorum patrum sententias respondere curavi. Tu autem , qui sospes & multorum librorum copiam acquirere & legere vales , si quid melius & congruentius invenire poteris , meæ parvitati in epistolari scriptura intimare non graveris.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

